£7.50

IOS. ANTONELLI SAC.

DE MULIERIS EXCISAE IMPOTENTIA AD MATRIMONIUM

LIBRARIA PONTIFICIA
FRIDERICI PUSTET
ROMAE, RATISBONAE, NEO-EBORACI

MCMIII

DE MULIERIS EXCISAE IMPOTENTIA AD MATRIMONIUM

CAPUT I.

1. Duobus abhinc annis publice edidi opusculum cum titulo: « *De Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium* », [1] in quo, ex iure naturali et canonico et ex doctrina unanimi doctorum ecclesiasticorum omnium temporum, curavi statuere verum conceptum impotentiae et sterilitatis, quo facilior foret in praxi modus iudicandi, et quid sentiendum in utroque casu; eoque magis hoc argumentum pertractavi, quia res matrimoniales de impotentia et sterilitate, nostra hac aetate, quam maxime implexae redduntur ob novos progressus anatomiae et physiologiae, quarum notiones in ordinariis tractatibus de theologia morali vel penitus desiderantur vel non paucis erroribus commixtae inveniuntur. Hac occasione refutavi etiam nonnullos auctores, qui prorsus nova, de dictis quaestionibus, protulerant et tantum apparentibus ac vanis rationibus defenderant, ex quibus peculiari modo P. Eschbach, utpote qui primus illa proposuerat. At P. Eschbach comunem doctrinam, a me in dicto opusculo expositam ac luculenter demonstratam, nisus est destruere in altera editione sui operis « *Disputationes* » etc., vel afferendo argumenta, pro sua sententia, inconsulto selecta ex theologis et canonistis, et falso illa applicando, truncatis etiam textibus auctorum in iis,

[1] Romae Apud F. Pustet. L. 1,50.

quae ipsi adversabantur, vel citando mei operis nonnulla loca incomplete et partialiter, ita ut, ex hisce citationibus, mens mea alia prorsus haberetur et pro falso traderet lectoribus, quod reintegratio locorum veritatem prae se ferebat; immo ibi asserere non dubitavit me hausisse traditam doctrinam *ex physiologis incredulis et acatholicis, neglecta etiam ecclesiasticae traditionis auctoritate.* Qua re, honoris mei tuendi et veritatis catholicae doctrinae defendendae causa magis motus, optimum factum duxi novis argumentis demonstrare doctrinam, in dicto opusculo a me traditam, esse perfecte conformem iuri naturali et pontificio ac non interruptae doctrinae theologorum et canonistarum et consequenter doctrinam P. Eschbach, utpote contrariam dictis argumentis, non esse sustinendam et in praxi esse feracem infinitorum malorum et Sacramentum Matrimonii ita reduci ad sacrarium spurcitierum. Quod feci in altero opusculo cum titulo: « *Pro Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium: animadversiones in opus P. Eschbach* « *Disputationes*, etc. » II edit. [1].

Hoc edito, P. Eschbach in « *Analecta Ecclesiastica* » nonnullos articulos publice fecit, quos postea collegit, tentans refutare quod in altero opusculo exposui relate ad conceptum sterilitatis, sub titulo illos ponens: « *De novo quodam sterilitatis conceptu* ». Cum attente legerim quae in hoc opusculo continentur, candide fateor talia ibi contineri, quae certo nullam seriam considerationem meruissent, et ego libenter abstinuissem in illis refutandis, nisi confusio magna conceptus impotentiae, sterilitatis et consummationis matrimonii, et textus male interpretati aut obtruncati aut non recte appositi, qui veram doctrinam destruunt catholicam, causa essent erroris tot lectoribus, et nisi ad me

[1] Romae Apud F. Pustet, L. 1,50.

ipsum fere omnes dicti articuli referrentur. Quod vero ita res se habeat, ex sequentibus lucide apparebit. — Ut paucis argumentum exponam, tota quaestio reducitur ad hoc: « An mulier excisa, quae scilicet caret certo ovariis, vel utero vel utero et ovariis simul, possit valide contrahere ».

2. Statim a titulo ipso, quem P. Eschbach dictis articulis apposuit, incipio. Titulus est, ut iam dixi: « *De novo quodam sterilitatis conceptu* ».

Ex hoc titulo P. E. vult, ut lectores putent me, in doctrina catholica. introduxisse novum conceptum sterilitatis; at hoc est falsum; nam infra videbitur P. Eschbach ignorare conceptum sterilitatis et semper impotentiam confundere cum sterilitate.

3. Praemisso titulo, P. Eschbach [1] affert locum Sanchezii, in quo Sanchez, refutatis argumentis nonnullorum, qui docebant sterilium matrimonia esse invalida, probat haec matrimonia consistere. Dein statim pergit cum Laymann, qui ait: [2]

« Impotentia alia est ad prolem generandam, quae *sterilitas* dicitur et haec, si sola sit, nullum matrimonium impedit; alia est ad copulam carnalem perfectam. Dixi *perfectam* i. e. quae fit cum effusione veri seminis, in vas muliebre » (pag. 4-5).

Et cum Salmanticensibus, qui docent:

« Sterilis quamvis generare *non possit,* sufficit quod possit matrimonium consummare ut illud contrahere valeat, praecipue in feminis quae in quacumque aetate, complexione et dispositione sint, modo possint ingressum viri pati ad claustra pudoris » (pag. 5).

Ex dictis, pro P. Eschbach, sterilitas habetur cum *non sit*

[1] Op. cit. pag. 3-5.

[2] Non sit ingratum lectori, si longa loca affero P. Eschbach, quod ad hoc tantum facio, ut ipse lector naturam eius argumentorum rite perpendat et iustum de iis ex se ipso iudicium ferre valeat.

possibilis generatio, scilicet ex auctoritate Sanchez, Laymann et Salmanticensium. Nam statim addit:

« Recentissimis vero temporibus, novus coniugalis sterilitatis in lucem prodiit conceptus, cuius patronum et vexillarium, salva utique christiana caritate, adversarium hic principalem habemus » (pag. 5).

Hic citat meum alterum opusc. « *Pro conceptu* » etc.

Dein prosequitur:

« Tenet itaque nova isthaec sententia, minime sufficere ad validitatem matrimonii, ut « mulier possit debitum reddere », necnon quemcumque defectum, quo eadem ad generandum foret impar, ad sterilitatem referri, sed distinguendum esse inter huiusmodi defectus. Alii enim physiologicam causam generativam afficiunt, quae est in organo generationis viri et mulieris. — Alii [1] « in aliquo tantum accidentali foecundationis et generationis impedimento » sedem habent; « unde vel obstaculum habeatur ingressui zoospermatis in ovulum et utriusque [2] ad generationem elementi contactui, vel, eo contactu posito, obstaculum habeatur actioni virtutis foecundativae zoospermatis in ovulum. Unde fit quod, eo ablato impedimento, ut saepe contingit, sequitur actu generatio. Quapropter copula in huiusmodi circumstantiis est et manet semper per se apta ad generationem, sed per accidens tantum manet suo effectu frustrata defectu favorabilium illarum dispositionum, in quibus illa causa inveniri debet, ut suum producat effectum ».

« Sane talem coniugalis sterilitatis definitionem aut descriptionem, apud auctores antenatos, imo etiam moderniores, frustra exquires. Quatenus autem nova est, neque intrinseca evidentia assensum cogens, ab eiusdem patronis iure petimus, ut argumenta eamdem comprobantia adducere velint, quae tamen serio ponderare atque perpendere non ius solum sed lex nobis sit » (pag. 5-6).

Hinc P. E. ad analysim revocat dictam descriptionem sterilitatis ex mente P. Bucceroni, sequentibus verbis:

[1] Haec P. Eschbach refert ex Bucceroni, quin eum nominet, quaeque sunt in vol. II, « *Institution. Theol mor.* » edit. 4ª, n. 995.

[2] Hic P. Eschbach omisit verbum non parvi momenti « *essentialis* ».

« Duabus imprimis partibus constare videtur, alia *negativa*, *positiva* alia. Prior e conceptu sterilitatis excludit impotentiam generandi, quae « in essentiali defectu est physiologicae causae generativae, quae est in organo generationis viri et mulieris ». Aliis verbis, quotiescumque femina talem vel in suis organis genitalibus internis, puta in utero, oviductibus, tubis Fallopianis [1], ovariis, prae se fert depravationem, quae eamdem physice inhabilem reddat, non quidem ad coitum seu ad coniugale debitum, sed ad concipiendam prolem, iam non simplex habetur sterilitas, quae matrimonio coexistere possit, sed impotentia matrimonium excludens atque irritans.

« Positive autem sterilitas ibidem dicitur inesse feminae, apud quam invenitur impedimentum seu obstaculum, quominus utriusque generativi elementi contactus perficiatur, vel, eo posito, generatio non sequatur, et tale impedimentum seu obstaculum vocatur accidentale. « Unde fit, aiunt, quod, eo ablato impedimento, ut *saepe* contingit, sequitur actu generatio ».

« Ergo *non semper* contingit auferri tale impedimentum. Imo contingit saepissime imo et consueto auferri non posse, ea utique de ratione quia in substantiali obstructione oviductuum, vel tubarum [2], sedem hoc impedimentum seu obstaculum habet. Semper tamen restat, quod, si per miraculum auferretur tale impedimentum, h. e. si substantialiter restauraretur obstructa pars genitalium, sequeretur actu generatio.

« Quare, ni fallor, vel dicas oportet, sterilitatem neque in eo consistere unde obstaculum habeatur ingressui zoospermatis in ovulum et utriusque ad generationem elementi contactui; vel sterilitatis conceptum substantiales genitalium organorum internorum deformationes non excludere.

« Sed, te forsitan reponis non de essentiali obstaculo esse locutum, sed de accidentali tantum, quo scilicet utriusque elementi generativi contactus temporaliter tantum impeditur.

« Esto. Scias itaque apud praegnantem vias iam occludi,

[1] Sciat P. Eschbach oviductus et tubas Falloppianas non esse anatomice neque physiologice *duo* organa distincta, sed *unum et idem: oviductus* enim et *tubae Falloppianae* sunt synonyma. Qui ex professo de physiologia agit, tales errores effugere debet.

[2] Hic P. Eschbach eumdem errorem anatomicum repetit mox indicatum.

quae de utero ad ovaria ducunt. « Une superfétation est matériellement impossible, du moment que l'utérus contient déjà un œuf en voie de développement, par la raison que cet œuf interceptant toute communication entre les ovaires et la cavité utérine, fait que le sperme ne peut plus transmettre son influence vivifiante aux ovules ». — Posito huiusmodi transitorio accidentali obstaculo, praegnans mox prolem, etiamsi vigesimam, paritura, mulier sterilis dicenda foret, quod utique absurdum non a longe sapit ».

« Claram proinde atque in suis partibus sibi constantem esse novam sterilitatis descriptionem, quam in scholam introducendam quidam aestimant, plane non video.

« Status itaque quaestionis totus in eo est, utrum necne inter simpliciter steriles habenda sit mulier quae, cum vas copulationis perfectum habeat atque ad coniugale debitum viro reddendum sit idonea, tamen in suis internis partibus ita est deficiens, ut prolis concipiendae physice sit incapax » (pag. 6-8).

4. Ad haec omnia, paucis respondeo.

Omnes doctores, nec tantum classicus Sanchez, Laymann et Salmanticenses, uti certam ecclesiasticam doctrinam tradunt matrimonium sterilium esse validum, etiamsi non possint generare; *ex hoc tamen non sequitur omnes, qui nequeunt generare, esse steriles*. P. Eschbach, ut ei mos est, maxime confundit conceptum sterilitatis et impotentiae, et ad hos reducuntur eius modi ratiocinandi in praesenti quaestione: 1° steriles, etsi non possint generare, valide possunt contrahere; atqui mulier, carens organis necessariis ad prolem concipiendam, scilicet ovariis, vel utero, vel utrisque simul, non potest generare ac ideo est sterilis; ergo valide potest contrahere; 2° doctores requirunt (teste Laymann), ad valorem matrimonii, ut mulier possit recipere semen virile in vaginam; atqui mulier in dictis conditionibus potest recipere semen; ergo potest contrahere. — De altero modo ratiocinandi inferius dicam. Hic nonnulla de primo. — Quod vero eius doctrina de impotentibus et sterilibus ad hos ra-

tiocinandi modos reducatur, sufficit legere tantum enunciatum IV propositionis sui operis citati (*Disputationes* etc.) et relativa argumenta (pag. 169) et eorum refutationem in meo opusc. (*Pro Conceptu* etc.) pag. 42 et ss.

5. In primis praemitto, ad resolvenda dubia de aliqua quaestione, non sufficere exponere tantum aliquem locum alicuius auctoris, etiam classici; sed necessarium esse recurrere ad principia certa et haec applicare singulis casibus. His positis, dico, ex locis citatis a P. Eschbach, scilic. Sanchez, Laymann et Salmanticentium, nullum erui conceptum *certum* sterilitatis, nisi eadem loca comparentur cum principiis certis ab ipsis expositis, quaeque sunt communia omnibus doctoribus et efformant doctrinam certam, quam tenet Ecclesia ipsa in praxi.

6. Hinc Sanchez, cum quaerit, quid requiratur *ad essentiam* matrimonii, ut scilic. matrimonium sit validum, docet: «Matrimonii contractus **essentialiter** consistit in mutua obligatione *ad copulam perfectam suapte natura aptam ad prolis generationem*: **nec refert si accidentaliter nequeat sequi proles, ut in sterilibus constat** »[1]. — Et quid est *copula perfecta?* Cum classico Pichler dicam: « *Intelligitur copula perfecta seu de se sufficiens ad generationem prolis* »[2]. Ergo, ex mente Sanchezii, in sterilibus proles abest tantum *accidentaliter*, h. e. *per accidens*, scilicet non necessario, non absolute, sed via exceptionali tantum; nam quod fit *per accidens* non est regula communis, non casus ordinarius, non modus regularis fungendi vel agendi naturae. Aliter, quomodo matrimonium, contractum cum absolute et in perpetuum inhabilibus ad generandum, posset esse contractus *essentialiter* consistens in mutua obligatione ad copulam perfectam, seu de se sufficientem ad genera-

[1] Sanchez, *De Matrim.*, l. 7, d. 92, n. 28.
[2] Pichler, *Summa iurisprudentiae*, tit. XIV, § 2, n. 18.

tionem prolis, ex principio certo ab ipso Sanchez admisso cum communi? Et qua ratione eunuchus, utroque teste privatus, non potest valide contrahere, nisi quia eius inhabilitas ad procreandum non est per accidens, non temporanea, sed absoluta, perpetua et irremediabilis? Nullus enim eunuchus unquam capax erit in perpetuum generandi. Ergo, si in sterilibus, ex mente Sanchezii, proles haberi non potest tantum *per accidens*, patet ipsum supponere steriles habere omnia organa necessaria ad generationem, quae tantum impediuntur aliquo accidentali obstaculo ad effectum producendum, qui est proles; secus deesset res *essentialis* ad contrahendum; nam copula ex natura sua, h. e. absolute et in perpetuum non apta ad prolis generationem, impedit vel dirimit matrimonium [1].

7. Idem Sanchez docet alibi: « **Substantia matrimonii consistit** in consensum ad societatem coniugalem, sub quo tacite includitur ad perpetuam societatem, ad fidem mutuo sibi servandam, **prolemque suscipiendam**, quae sunt *tria* bona matrimonii » [2], et « *haec bona* **tantum pertinent ad eius essentiam quoad obligationem,** non vero quoad executionem » [3]. Si ergo ex mente Sanchezii, ob principium commune, tria bona matrimonii, scilicet bonum Sacramenti, bonum fidei et bonum prolis *tantum*, sunt ita de essentia matrimonii, ut absque iis contrahi valide non possit et steriles valide contrahunt, sequitur in his sterilibus inveniri omnia haec bona, etsi bonum prolis *accidentaliter* absit; aliter si *per se, absolute et necessario*, puta ob carentiam organorum essentialium generationis, hoc bonum prolis abesset, non possent valide contrahere ea utique ratione, quia tria dicta bona **tantum** sunt **essentialia** ad valorem

[1] Cfr. *Pro Conceptu* etc. pag. 86 et seq. et pag. 50-51.
[2] Sanchez, *Op. cit.*, l. 5, d. 9, n. 3.
[3] Idem, ibid. n. 6.

matrimonii. Quid ergo concludit locus Sanchezii ab Eschbach citatus, nisi quod steriles possunt habere copulam per se fecundam, etsi *accidentaliter* nequeant generare, ac ideo possunt contrahere, et P. Eschbach in loco, quem ipse citat, sistere tantum in verbis et nihili facere principia certa, quae omnes quaestiones dirimere tuto valent?

8. De loco vero Laymann a P. Eschbach allato, quid sentiendum? Idem omnino ac de loco Sanchez. Praecipua loca tamen oportet exponere Laymann, quae referuntur ad doctrinam de essentia matrimonii. « Matrimonium, ait Laymann, a praecipuo fine, qui est *prolis generatio*, nomen accipit; dictum est enim, ait Gloss. instit. de patr. potest. l. O. *Quia mulier nubit ut mater fiat*. Dicitur ibidem et in c. *illud de praesumpt.: Maris et feminae coniunctio individuam vitae societatem retinens* ».

« Circa priorem definitionis particulam adverte ex doctrina S. Bonav. ead. dist. 27, a. 1, q. 2. Matrimonium duobus modis accipi. Primo, pro actuali contractu, in quo legitimae personae, consensu verbis expresso, se vicissim obligant ad vitae societatem ac **generationis usum**. Secundo et frequentius pro permanente ac quasi perpetuo iugo viri et feminae, quo sensu, ait Gloss. cit., idem esse matrimonium quod coniugium. Quare sensus definitionis est, quod matrimonium sit perpetua et indissolubilis coniunctio, seu mutua obligatio viri et feminae, orta ex consensu eorum, verbis aliisve signis expresso, sicut hoc ipsum significatur in florent. Concilio Eugenii IV decreto: Causa efficiens matrimonium regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus ».

« Eiusdem coniugalis obligationis ac mutui iuris, quod coniugi in coniugem competit ad petendum et praestandum usum corporis **ob finem generationis,** meminit etiam Apostol. I Cor. 7: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et*

uxor viro. Cuius rationem subiungit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ubi notandum est cum Less. l. II, c. 3, dub. 2, n. 7, hanc potestatem in corpus coniugis esse quidem ius in rem, sed non proprie dominium; ne fateri cogantur alterum alterius mancipium, seu servum esse. *Est igitur ius utendi corpore coniugis* **ad opus generationis;** ad eum modum, quo alicui ius utendi alieno horto, aliena vacca ad certum finem concedi solet ».

« Posterior definitionis particula *individuam vitae* etc. ostendit matrimonio maiorem, quam aliis omnibus humanis contractibus, firmitatem et indissolubilitatem competere. Nam alii omnes, etsi mutuo consensu constituti sint, eodem item dissolvi possunt; matrimonium non item. Quem perfectum et indissolubilem nexum, partim suapte natura obtinet, ob *commodum prolis generandae*, meliusque educandae; partim vero et multo magis ex Dei primaeva institutione, sacri et magni mysterii causa, sicut constat ex Apost. c. 5 ad Ephes » [1].

« **Ius reale,** quod per matrimonium contractum acquiritur, **aliud non est, quam ius utendi corpore coniugis ad usum generationis** » [2].

« **Extra controversiam est, quod prolis generatio praecipuus finis sit actus coniugalis, quem proinde coniuges excludere numquam debent,** sed *impliciter saltem ac virtualiter intendere,* **nisi per accidens ob senectutem vel sterilitatem desperetur proles** » [3].

9. « Impotentia alia est ad prolem generandam, quae *sterilitas* dicitur, et haec, si sola sit, nullum matrimonio impedimentum adfert. Alia vero est impotentia ad copulam

[1] Laymann, *Theol Moral.* l. 5, tract. 10, P. II, c. 1, n. 1.
[2] Laymann, *Op. cit.*, c. 8, n. 9.
[3] Idem, ibid. P. III. c. IV, n. 1.

carnalem, de qua haec assertio sit: **impotentia ad copulam perfectam dirimit matrimonium subsequens** »[1].

« Secundo nota, quod dixi *ad copulam perfectam*, idest quae fit cum missione veri seminis in vas muliebre (Sanchez, l. 7, d. 92, n. 17) ».

« Inter coniuges, quibus impotentia post nuptias advenit, oscula et tactus ad declarandum affectum coniugalem vel sedandam concupiscentiam, licite exerceri posse, si *pollutionis periculum absit*, sicut docet Sanchez l. 9, d. 17, n. 21. Quin etiam ad carnalem copulam conari ipsis concessum est, *quamdiu probabilis spes superest ipsam aliquando perficiendi*, licet praeter intentionem pollutio contingat, ut notant Caiet. . . . Sin vero desperatum sit, posse aliquando copulam perfectam inter coniuges obtineri cum missione seminis in vas, tunc abstinere tenentur propter pollutionem vitandam »[2].

Senem, morti proximum, ait Laymann posse contrahere: « Quia, ut ponimus, infirmus morti propinquus, habet potentiam actus coniugalis exercendi, licet *per accidens*, impeditam, quominus ob morbi violentiam et mortis adventum in actum deduci possit. Quod si vero accidat **ipsam generandi potentiam,** vi morbi, secundum se, **destructam esse, tunc impotens homo censeri debet matrimonii contrahendi** »[3].

« Si **potentia generandi,** vi morbi, secundum se ac simpliciter, **destructa esset, ut nulla humana arte restaurari posset,** etsi hominem diutius vivere contingat (quod in dubio praesumi non debet), tunc **matrimonium valide contrahi non posse.** Idemque sentiendum de viris senibus, quorum **vires adeo exhaustae sunt, ut nullo humano remedio iuvari possint ad copulam perficiendam,** cum nihil referat seu ex

[1] Laymann, ibid. P. IV, c. 11, n. 1.
[2] Idem, *Op. cit.* P. IV, c. 11. n. 4.
[3] Idem, ibid. n. 6.

natura, seu ex alia extrinseca causa impotentia irreparabilis oriatur, sicuti docent DD. » [1].

10. Quum vero Laymann agit quaestionem de impedimento dirimente ob aetatem, quo scilicet ex iure Ecclesiae prohibentur mares ante 14 ann, et feminae ante 12 ann. valide contrahere, addit: « Ratio est quod Ecclesia pro inconvenienti habeat, ut matrimonium contrahatur ab iis, qui nondum pubertatem et **generandi potentiam asseculi sunt** » [2], et ius in ea aetate completa praesumit « **potentiam generandi necessariam ad matrimonii valorem** » ut ait Sanchez [3], dummodo malitia non suppleat aetatem, scilicet dummodo, ante hanc aetatem, iam « **adsit potentia generandi** et sufficiens discretio ad se obligandum » [4].

Immo Sanchez, loquens de signis ex quibus nosci potest potentia seu capacitas generandi in feminis, ait: « *Menstruum in femina sufficit ad probandam aptitudinem eius ad generationem*. Ducor quod feminae ex tempore, quo menstruum habent et non antea concipere valeant », etsi « fieri posse, sed raro, aliquas sine profluvio concipere » [5].

11. Quid in doctrina exposita docet Laymann, breviter colligamus. Docet:

1° In matrimonio coniuges coniungi « ad vitae societatem et *generationis usum ;*

2° Ius, quod acquirunt coniuges vicissim in corpore, aliud non esse, nisi « *ob finem generationis, ad opus generationis, ad usum generationis ;*

3° Extra controversiam esse, quod, cum *praecipuus finis actus coniugalis sit generatio prolis, coniuges* **hanc**

[1] Laymann, ibid. n. 7.
[2] Idem, *Op. cit.*, ibid. n. 7.
[3] Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 104, n. 4.
[4] Idem, ibid. n. 5.
[5] Idem, ibid. *n.* 34.

numquam excludere debere, sed **semper intendere**, saltem *implicite* ac *virtualiter*, nisi aliter eveniat **per accidens**. (Quid significet *per accidens* supra diximus et in *Pro Conceptu* n. 55).

4° Cum in matrimonio praescindi nefas sit a conceptu et spe prolis, sequi: *a:* senes et quemcumque vi morbi omnino habere **destructam potentiam generandi, non posse valide contrahere, ratione impotentiae**; *b:* maritum, perpetue destitutum potentia seminandi intra vas, non posse uti matrimonio; *c:* impuberes, nondum consecutos **potentiam generandi**, non posse valide contrahere, nisi, ante iuridicam aetatem, constet **capaces esse generandi**. Ratio omnium, uti patet, est, quia ad **valorem matrimonii requiritur potentia generandi**, tam pro mare, quam pro femina, teste Sanchez, cum communi.

12. Uti clare patet, Laymann agit semper de vera possibilitate generationis humanae in matrimonio habendae pro valore matrimonii ipsius, sicuti Sanchez et omnes Auctores indiscriminatim, exceptis P. Eschbach et paucissimis modernis, qui huic innituntur, posthabita communi ac certa doctrina ecclesiastica et iuris naturalis. — Remanet tamen notandum, qua ratione Laymann, cum disserit de impotentia perpetua ad copulam perfectam, dicat, hanc esse « quae fit cum missione veri seminis in vas muliebre, » quin aliud innuat de muliere. Ad id sufficit attendere a quo hanc definitionem acceperit: citat ipse Sanchez; et iam nimis diu demonstravimus Sanchezium tenere *opinionem probabiliorem*, iuxta quam mulier nihil praestare deberet ad generationem, etsi probabilitatem sententiae contrariae minime negaret[1]. At quomodo *vere* fiat generatio humana, nostra hac aetate plene et inconcusse noscitur; requiritur enim semen ex parte viri, ovulum et

[1] Cfr. *Pro Conceptu* etc., n. 9, et *De Conceptu* n. 15 et ss.

uterus ex parte feminae. Quid ergo P. Eschbach ex Laymann concludere valeat pro tuenda sua sententia, nemo videt; imo Laymann doctrinam omnino contrariam tradit.

13. Accedant nunc Salmanticenses et videamus quid ipsi doceant de matrimonio; quod quidem breviter faciemus, cum ipsum doceant ac ceteri auctores, exceptis semper superius indicatis.

Notum est ad valorem matrimonii requiri capacitatem illud consummandi, ex quo coniuges fiunt una caro.

Salmanticenses docent: « Matrimonium consummatum dicitur, quod per copulam maritalem completur, quia tunc fiunt coniuges una caro et sic perfecte unionem Verbi cum humanitate et Christi cum Ecclesia omnino inseparabilem significat » [1].

« Matrimonium consummatur per copulam, qua coniuges fiunt una caro *c. 2 de convers. coniugat.*; sed *non fit una caro per solam penetrationem* . . . nisi detur effusio seminis intra vas aptum **ad generationem** in *c. lex 27, q. 2,* quia debet esse **copula apta ad generationem illa**, per quam coniuges fiunt una caro (inchoative videlicet, quia **in una carne prolis adunantur**), qualis non est illa, in qua vir semen non emittit intra vas femineum » [2].

Melius etiam explicant conceptum consummationis his verbis: « Per illam copulam et non aliam consummatur matrimonium, per quam coniuges fiunt una caro et resultat affinitas cum consanguineis; sed etiamsi vir claustrum pudoris penetrat, **nisi utriusque seminis commixtio sequatur,** neque sequitur affinitas, nec coniuges fiunt una caro. Ergo, **nisi feminae seminatio cum seminatione viri**

[1] Salmanticenses, *Cursus theol. mor.*, De matrim., tract. 9, c. 4, punct. 1, n. 2.

[2] Hoc loco, quaestio, de qua agunt Salmant., est utrum ad consummationem sufficiat penetratio viri, etiam sine emissione seminis (ibid. n. 3).

intra vas femineum coniungatur, non consummatur matrimonium » [1].

Contra vero illos, qui asserebant mulierem nullum semen praestare ad generationem, quid Salmanticenses respondent? « Respondetur, aiunt, quod licet *ad consummationem matrimonii copula apta ad generationem requiratur,* non tamen sufficit, nisi sanguis, seu **semen unius** cum alterius sanguine seu **semine commisceatur;** unde enim affinitas resultat, inde verificatur fieri utrumque unam carnem, quod ad consummationem matrimonii requiritur » [2].

Sed qua ratione ab his Aa. requiritur, ad consummationem, copula, ex qua sequi possit generatio? Audi: « **De essentia matrimonii,** inquiunt, est obligatio ad reddendum debitum et ius ad petendum, ac proinde **traditio corporum cum potentia ad generationem** » [3].

De sterilibus autem docent: « Illi vero, qui veram potentiam habent coëundi (*scilicet non mechanice penetrandi, sed potentiam generandi, quod est* **de essentia** matrimonii), sed sunt steriles, vel a natura vel ratione senectutis, vere contrahunt matrimonium... quia **vere** possunt copulam maritalem habere et sic se ad illam obligare, quia licet ex illo semine nequeat generatio evenire, **hoc non est ex natura seminis,** quod est eiusdem speciei cum aliis, sed ex speciali qualitate et temperamento; et **sic non frustratur per se prolis generatio, quae finis est matrimonii, sed per accidens.** Ea vero, quae per accidens fiunt, non sunt expectanda ad dissolutionem matrimonii » [4].

De senibus specialius docent, reintegrando textum ab

[1] Salmanticenses, ibid. n. 5.
[2] Idem, *Op. cit.* n. 6
[3] Idem, ibid. ibid. c. 12, punct. 10, n. 111.
[4] Idem, ibid. n. 114.

Eschbach allatum: « Senes, quantumvis decrepiti et steriles, si nullo alio, praeter senectutem, defectu laborent, valide contrahunt matrimonium, ut constat ex usu Ecclesiae nullos senes a coniugio excludentis; quia nullus est adeo frigidus ratione senectutis praecise ut vel natura vel arte medicinae non possit ad coitum calere; et sic quamvis generare non possit, sufficit quod possit matrimonium consummare, ut illud contrahere valeat, praecipue in feminis in quacumque aetate, complexione vel dispositione sint, modo pati possint ingressum viri ad claustra pudoris » [1].

Si vero senes adeo exhausti sunt, ut iudicio medicorum perpetue amiserint *potentiam generandi*, docent iidem Aa. non posse valide contrahere, quia sunt vere impotentes [2].

14. Paucis nunc item colligendo doctrinam Salmanticensium, sequitur:

1° *De essentia matrimonii*, h. e. pro eius validitate, requiri **potentiam generandi.**

2° Senes et steriles valide contrahere, etsi **per accidens** et **non per se**, nequeant generare. Quod enim fit *per accidens*, non dissolvit matrimonium;

3° Senes, quibus in perpetuum abest potentia, seu capacitas generandi, non posse valide contrahere;

4° Feminas, in quacumque aetate, complexione, vel dispositione sint, modo possint congredi, valide contrahere; quia, secundum eosdem Aa., adhuc retinent **potentiam generandi,** quae est **de essentia matrimonii,** etsi **per accidens,** et **non per se,** non generent; aliter essent impotentes, sicut praedicti senes ac ideo inhabiles ad contrahendum.

15. Colligentibus hinc nobis doctrinam de sterilibus, quam tradunt Sanchez, Laymann et Salmanticenses, quid conclu-

[1] Salmanticenses, *Op. cit.*, punct. 11. n. 126.
[2] Idem, ibid. n. 127.

dendum? Hi Aa. et omnes cum illis, exceptis P. Eschbach eiusque paucis modernis asseclis, docent: 1° *ad valorem matrimonii requiri potentiam generandi;* 2° *Senes*, nondum destitutos in perpetuum potentia generandi, et *steriles*, qui adhuc sunt capaces generandi, posse valide contrahere, quia, etsi de facto non generent, hoc fit tantum **per accidens,** et **non per se;** quod enim fit *per accidens* non impedit matrimonium. — Ex hac igitur doctrina quid sentiendum de conceptu **sterilitatis?** Hanc consistere dicendum est in statu aliquo subiecti, qui habet quidem potentiam generandi, at non generat **ob particulare aliquod accidens** et **non per se,** quales essent eunuchi et feminae carentes utero, vel ovariis, vel utero et ovariis simul. Iuxta ecclesiasticam doctrinam et omnium Aa. consensum, exceptis superius notatis, definitionem sterilitatis iam dedi his verbis: « *Sterilitas est habitus subiecti ita dispositi, ut, ex copula carnali, generatio,* **tantum per accidens,** *non sequatur* » [1]. Et hunc conceptum sterilitatis P. Eschbach appellat **novum quemdam!!!!** — At procedamus, solius veritatis amore ducti.

16. Ex dictis patet etiam responsio ad reliqua exposita a P. Eschbach. Si enim, de essentia matrimonii, idest pro eius valore, requiritur capacitas generandi ita, ut, absque hac capacitate, matrimonium nullum fas sit valide contrahi, sequitur ex defectibus, qui possunt generationem impedire, nonnullos esse, qui tantum hic et nunc impediunt *actualem* generationem et nonnullos esse, qui omnino, in perpetuum et absque remedio illam impediunt; primi defectus prohibent actualem generationem tantum *per accidens,* posteriores vero omnino *per se;* in primo enim casu possibilis, immo in praxi frequens, est generatio, in altero *num-*

[1] Cfr. *De Conceptu* etc., n. 97.

quam et in perpetuum est possibilis generatio. Ceterum hoc discrimen inter defectus mere *per accidens* impedientes generationem et defectus *per se* et absolute et in perpetuum hanc prohibentes, Ecclesia ipsa in praxi admittit; ex. gr, quoad virum scimus Sixtum V declarasse absentiam testiculorum, (qui defectus est *substantialis*), impedire validitatem matrimonii contrahendi et nullum reddere matrimonium iam contractum; et, quoad mulieres, item noscimus, nostra hac aetate, S. C. C. exquisivisse a peritis medicis praesentiam vel absentiam uteri et ovariorum in nonnullis causis ad cognoscendum, an adfuisset, nec ne, potentia generandi. Quod quidem explicite significat maxime attendendos esse defectus *substantiales* impedientes generationem in matrimonio contrahendo, minime vero idem dicendum de defectibus mere *accidentalibus*, qui *non per se* impediunt generationem, ut fit in senibus et sterilibus, quibus inest potentia generandi, quia **certum est et plures senes usque ad tardam senectutem genuisse** et **plurimos steriles**, quibus plena est sacra et profana historia, etiam multos post annos copulae infecundae, **tandem filios generasse.** Quapropter descriptio (sic!) sterilitatis, quam P. Eschbach refert ex P. Bucceroni, non est nisi casus particularis, quem praebet ipse Bucceroni ad significandum quandonam generatio potest deesse *per accidens* et quando *per se;* quem locum tamen interest integrum referre. Bucceroni ait: « Sterilitas est in aliquo tantum *accidentali foecundationis* et *generationis impedimento*, unde vel obstaculum habeatur ingressui zoospermatis in ovulum, et utriusque essentialis ad generationem elementi contactui, vel, eo contactu posito, obstaculum habeatur actionis virtutis foecundativae zoospermatis in ovulum. Unde fit quod, eo ablato impedimento, ut saepe contingit, sequitur *actu* generatio. Quapropter copula in huiusmodi circumstantiis est et manet semper *per se*

apta ad generationem, sed *per accidens* tantum, ex accidentali nempe impedimento, manet suo *effectu* frustrata, defectu favorabilium illarum dispositionum, in quibus inveniri debet, ut suum producat effectum » [1].

17. Dicere vero, ut notat P. Eschbach, talem sterilitatis definitionem non inveniri apud auctores antenatos, ad minus ridiculum est; idem esset ac quaerere descriptionem telegraphi vel telephoni apud veteres, cum inventa nostrae aetatis sint. Quod veteres non potuerint similem dare sterilitatis notionem *physiologicam*, mirum esse non debet, cum scientifica certitudo de modo generationis satis recens sit. Ad haec etiam aliud accedit, quod, generatim loquendo, theologi et canonistae, *ordinarie*, nova inventa physiologiae neglexerunt et tantum retulerunt in suis operibus, quod eorum praedecessores tradiderant. Et re quidem vera, qui sunt ecclesiastici auctores, qui, in quaestionibus de matrimonio, loquuntur de vesiculis a v. Graaf primo inventis an. 1678 vel de ovariis femineis, de quibus profunde disserit Zacchia saec. XVII, vel de nemaspermatibus inventis ab Hamm an. 1677?

18. Quod si *scientificus* conceptus sterilitatis desideratur apud veteres, tamen quid ipsi intellexerint nomine sterilitatis clarissime habetur, cum distinguunt carentiam generationis posse fieri *per se* et *per accidens*; cum asserunt unanimiter impossibilitatem perpetuam generandi *per se* impedire matrimonium, minime vero carentiam generationis actualis *per accidens*, et cum applicant principia certa de valore matrimonii ad plures casus, qui occurrunt in praxi.

19. Dixi supra theologos et canonistas *ordinarie* neglexisse inventa physiologiae; quia perpauci adsunt, qui aliter se gesserunt. Ita ex. gr. Pichler (an. 1750) admittit ovula in feminis

[1] Bucceroni I., *Op. cit.*, vol. II, n. 995.

ad generationem necessaria, iuxta medicos suae aetatis [1], et perfecte distinguit impotentiam a sterilitate. « Prior, ait, est inhabilitas ad commixtionem maris et feminae, per quam efficiuntur una caro, seu est *inhabilitas ad copulam carnalem perfectam;* posterior (alio nomine **sterilitas**) est inhabilitas ad **actualem generationem prolis,** etiam praesupposita copula carnali perfecta... Intelligitur autem **copula perfecta** seu de se sufficiens ad generationem prolis » [2].

Idem dicendum de Amort, qui loquitur de ovariis, ut infra videbimus.

Quoad moderniores sufficit memorasse Ballerini-Palmieri [3] et Lehmkuhl [4], qui conceptum sterilitatis et impotentiae tuentur ex novis inventis physiologiae, integris manentibus principiis certis doctrinae catholicae de essentia matrimonii.

20. Quoad casum vero, quem P. Eschbach affert de muliere praegnante, dicimus tantum nihil adversari conceptui sterilitatis, quem, cum communi, semper superius dictis exceptis, tuemur. Nam, mulierem praegnantem, quae, etiamsi viginti filios pepererit et tamen viro suo matrimonialiter utens, hic et nunc non concipit, nemo dixerit esse sterilem; sed tantum dicendum erit, etsi superfetatio non sit impossibilis, quidquid dicat Doctor Bossu ab Eschbach citatus, **actualem** copulam carere suo effectu; et semper id erit *per accidens,* cum, post partum, nova sit possibilis fecundatio. Quid ergo absurdi occurrit in conceptu sterilitatis a maioribus accepto, a physiologia confirmato et a praxi quotidiana et sensu communi hominum continuo recognito? Quomodo dici potest hunc conceptum non esse clarum et insuper esse novum in scholis?!...

[1] Cfr. *De Conceptu* etc., n. 47.
[2] Pichler, *Op. cit.*, tit. XIV, § 2, n. 18.
[3] Ballerini-Palmieri, *Opus theol. moral.*, Edit. 3. vol. VI. n. 865, nota.
[4] Lehmkuhl, *Theolog. moral.*, edit. 9, vol. II, n. 743, ad 2.

21. Sed procedamus in argumenta P. Eschbach: Ipse quaerit, ut iam diximus, utrum mulier, quae physice sit incapax generandi, quia caret utero, vel ovariis, vel utero et ovariis simul, et tamen potest, ob praesentiam vaginae, cum viro congredi, possit valide contrahere. Ad hanc quaestionem solvendam utrumque opusculum, iam pluries citatum, scripsi; in quibus, iuxta ius naturale, pontificium et communem doctrinam Auctorum, usque ad primam editionem operis P. Eschbach « *Disputationes* » etc., ubi ipse contrarium tueri aggressus est, probatur ad validitatem matrimonii non sufficere potentiam in coniugibus physice copulandi, sed omnino requiri potentiam generandi; ac ideo sequitur mulierem in praefatis conditionibus non posse valide contrahere. At P. Eschbach, proiecto post humeros hoc fundamentali principio iuris naturalis et canonici ab omnibus Auctoribus firmiter per tot saecula propugnato, miro modo pergit confundere impotentiam cum sterilitate; et sistens tantum, materialiter, in verbis auctorum affirmantium steriles et senes, etsi non possint generare, quod est *per accidens*, tamen valide posse contrahere, concludit talem mulierem castratam posse item valide nubere, quia potest cum viro carnaliter coniungi [1]. Hinc P. Eschbach in dictis articulis, quos hic refutamus, ad nonnulla *argumenta* reducit expositam a nobis communem doctrinam, quam postea confutat. — Videamus itaque argumenta, et quid valeant refutationes ab ipso factae.

CAPUT II.

22. Argumentum I. P. Eschbach est: « Quod simpliciter steriles eae solae mulieres habendae sint, quae, cum de facto ob accidentale et sanabile impedimentum non concipiunt, tamen necesse

[1] Cfr. *Pro Conceptu* etc., n. 28-36, et *De Conceptu* etc., n. 100 et ss.

habent, ut generatio ipsis non sit plane impossibilis, doctrina non est nova, sed apud veteres iam certa, teste Zacchia protomedico, Innocentii X tempore, totius Status Ecclesiastici, qui Quaest. medico-leg. l. III, tit. I, Q. 7, docet: « Sterilem dici mulierem, quae « in aetate habili, viro foecundo utens, numquam vel rarissime « concepit, ut semel tantum in tota vita. Requiritur enim pri- « mo ut mulier sit in aetate habili et habeat aptitudinem ge- « nerandi a natura ». Ergo etc.

23. Posito hoc argumento, quo usus sum, praeter tot alia argumenta ad tuendam communem doctrinam, P. Eschbach ita respondet:

« Responsum. — Verba haec pauca ex Zacchia transcripta adversarius solemnia habet atque omni exceptione maiora, quae proinde nihil immutata continuis vicibus repetit. Quid autem iuxta mentem auctoris valeant inquirendo, duo haec mihi constant:

1. Zacchiae verba taliter truncata hic iacent, ut auctoris mens inde plane aufugerit.

2. Monente ipso Zacchia, non ex libro hoc tertio principaliter venanda doctrina eiusdem est, sed potius ex nono, ubi communem omnino de sterilitate tenet sententiam.

Quaestio septima, ex qua *A.* hic arguit, inscribitur: *De sterilitate feminarum.* Ex professo itaque et non obiter, per quatuor solum aut quinque lineas, auctor argumentum pertractat. Unde fere per integrum est audiendus.

« Certum est, ita Zacchias, matrimonium causa procreandi liberos praecipue contrahi, licet etiam cessante ea principali quidem causa procreationis liberorum, uxore dumtaxat sterili existente, matrimonium non dissolvatur, quia habet nimirum alias causas quarum una satis est ad eius validitatem, ut notat inter medicos vir doctrina celeberrimus Steph. Roder. Cast., in opusc. cui titulus: *Quae ex quibus* l. 4, cap. 4; Rota in *Pisauren. Iocalium* ver. *Praeter quam quod.*

« Antiquitus tamen matrimonium ob sterilitatem dissolvebatur, sed cum in sanctissima Christiana religione matrimonium non unum solummodo bonum habeat sed quamplura, sterilitas, ut dixi, non est sufficiens causa dissolutionis eius. — Cum tamen de mulierum sterilitate alia in dubium venire Iuriscon-

sultis possunt, non abs re est aliquid peculiariter de ea hic disserere.

« Dictum autem iam non semel est, coitum in femina non impediri nisi per uteri coangustationem et clausuram; at conceptionem impediri facile posse ex mille causis et sic steriles mulieres reddi. Sed antequam ulterius progrediamur advertendum est, *sterilem dici mulierem quae aetate habili, viro foecundo utens, numquam vel rarissime concepit, ut semel tantum in vita. Requiritur enim primo ut mulier sit in aetate habili et habeat aptitudinem generandi a natura:* sterilis enim nomen non convenit ei cui conveniret nomen foecundae; idcirco puella ante debitum concipiendi tempus, neque mulier post declinantem aetatem menstruis destituta sterilis est dicenda, etiamsi utraque viro uteretur et tamen non conciperet ».

Alterum, quod ad sterilitatem auctor dicit requiri, est, ut viro foecundo utatur: tertium ut eo debite utatur: quartum ut nunquam aut rarissime, ut semel tantum, concipiat. « Tamen, concludit, vere et ad rem nostram proprie steriles dicendae illae sunt quae cum praefatis conditionibus *nullo modo* concipiunt ».

Hucusque Zacchia, cuius doctrina ad haec reducitur:

1. Matrimonium plures habet causas ob quas iniri legitime potest.

2. Istarum causarum una satis est ad matrimonii validitatem. Quare.

3. Etiamsi abesset ob uxoris sterilitatem causa principalis, quae est procreatio liberorum, matrimonium non irritatur.

4. Iurisconsultis sciendum est, steriles proprie non dici puellas quae nondum aetatem attigerint, in qua a natura habent aptitudinem generandi neque vetulas iam ad concipiendum impares.

5. Demum sterilis nomen vere non convenit feminis foecundis, sed eis solum quae nullo modo concipiunt.

Talem esse verum loci sensum ex mox dicendis plane confirmatur. Quantum autem ab A. distemus interpretatione, lector iudicet.

Scias itaque eruditissima volumina quae inscribuntur: *Quaestiones medico-legales*, didacticum minime continere scientificum opus, partibus sibi essentialiter atque intrinsece nexis

constans, sed tot disputationum de variis atque diversis obiectis series, quas uno tenore aut tempore nec cl. auctor conscripsit, nec publici iuris fecit, sed successive, ab anno 1621 ad 1635, libri seorsim singuli ad lucem prodiere.

Quapropter nemo miretur quae in libro nono, ubi rursus de impedimentis coeundi et generandi tractat, Zacchia sub titulo *Appendix ad titulum primum libri tertii*, candide lectorem ita monet:

« Magis ieiune forte quam ad rem iureconsultorum faceret, haec materia a me alias discussa est. Ut illis igitur maiorem in modum, ac plenius, fieri potest, satisfaciam, eam denuo mihi discutiendam proposui ».

Deinde de divortio (tit. X) agens, ita n. 14 Zacchia: « Caeterum, quia opinati sunt nonnulli graves quidem canonistae, sterilitatem dare causam dissolutioni matrimonii (quae forte multo facilius procederet in divortio), nonnulla de sterilitate ea occasione afferam.

« Primo ergo videndum quid sit sterile, quid item sterilitas? *Sterile ergo dicimus animal quod compari iunctum, in aetate habili,* NON POTEST *generare sibi simile*, licet *largo modo* sterilem dicamus hominem, qui raro, ut si semel tantum in vita, generat, atque hinc patet quid sit sterilitas: *Vitium enim est, quo animal compari coniunctum, in aetate habili, generare sibi simile non potest* ».

Vix est cur animadvertam, auctorem hic corrigendo omisisse incisum « *et habeat aptitudinem generandi a natura* » solum id requirens, ut animal sit *in aetate habili*. Nonne quia aliquid ambiguitatis eidem inesse animadverterit?

« Ex hoc, pergit Zacchia, noti doctores illi, quorum auctoritates adducit Sanchez, de Mat. L. VII, disp. 92, n. 25, putarunt hoc vitium esse sufficientem causam dirimendi matrimonium, quod Plato etiam admisit, sed doctores nostri inter plures rationes, quas pro sua opinione fulcienda adducebant, potissima illa erat, quod Matrimonium primo et principaliter ordinatur ad filiorum procreationem, non ergo simpliciter ad copulam: imo ipsa copula ordinatur ad eumdem finem.

« Si ergo impotentia ad copulam irritat matrimonium, quanto magis illud irritabit impotentia ad generationem?

« Alia insuper argumenta affert Sanchez ibidem pro hac

opinione, quibus ille plenissime satisfacit, eam opinionem reprobando, quae quidem vel ex hoc uno falsa videtur, quia naturalia impedimenta, quae irritare debent matrimonium, in tantum hoc praestare possunt, in quantum impediunt eiusdem matrimonii consummationem; at sterilitas non impedit matrimonii consummationem, cum neque coniunctionem carnalem ipsorum coniugum, nec seminis eiaculationem et receptionem in loca debita remoretur; ergo non est sufficiens impedimentum dirimendi matrimonium ».

Quare « ad veri matrimonii essentiam sufficit potentia coeundi et seminandi intra debita vasa, per quas actiones contrahitur inter coniuges vinculum matrimonii, unde efficiuntur *una caro*, quibus rite celebratis *nihil ulterius requiritur in matrimonio quod illud invalidare possit aut eius vinculum solvere* ». Ita cum Sanchezio Zacchia.

Quo magis magisque de femineae sterilitatis natura cl. Zacchiae mens palam fiat, quae de mulieribus atretis abundanter tum libro primo, tum tertio, tum septimo ipse scripsit, paucis exponere iuvat.

Atretae, ait, vel imperforatae, quas etiam velatas vocant, sunt feminae « quibus ante uteri osculum interius (scil. intra vaginam) membrana quaedam modo crassior modo tenuior praeter naturam obtenditur, ingressum semini ut plurimum prohibens.

« De his primo dubitari contingit an generare possint necne. Alias ex Hippocr. dixi eas *aliquando* posse concipere, licet dehinc in partu pereant ».

Et iuxta sententiam quae auctori magis arridet hae sunt « in quibus angustius quoddam foramen in panniculi medio apparet, ingressum semini virili praebens ».

Iam pergit ipse « in dubium verti potest, an vir teneatur reddere debitum uxori imperforatae, quae uteri clausuram patitur *incurabilem;* sunt enim mulieres nonnullae quibus membrana in medio uteri collo obtenditur, aliquando tamen dura, ut nulla irruentis viri violentia disrumpi possit.

Videtur autem virum teneri his reddere debitum, maxime si concipere possint, ut nonnullae possunt. Nullo enim fine videtur destitui hoc matrimonium, ut irritari possit, dum ultra caeteros etiam hunc, qui praecipuus est, habere potest, nempe sobolis procreationem, quia huiusmodi mulieres possunt conci-

pere. *Imo etiamsi hoc fine destitueretur, tamen non excusari deberet vir qui redderet, quia neque ipse vir neque mulier impediuntur, quin semen emittant, unde uterque eorum potest habere remedium concupiscentiae* et usu matrimonii mutuam dilectionem fovere.

Ergo, etiamsi ex hoc capite mulier sterilis esset, tamen non esset illi denegandum debitum, quia et sterilium matrimonium valet et sterilibus etiam ex alia magis irreperabili causa debitum est reddendum, quia etiam *abstracta a coniugio* **omni spe** *habendae prolis*, tamen coniugium non est irritum. Sanch. l. VII, disp. 92 ut alias dixi ».

Haec est aperta Zacchiae doctrina, quam a vero significatu detorquere nemini licet. Cum mox transcriptis consonat ab eodem tradita sterilitatis definitio: « *vitium est quo animal compari coniunctum, in aetate habili, generare sibi simile non potest* ».

Sed en rursus adversarium ita aientem: « Zacchias tantum haec dicit de sterilium matrimoniis, qui *habent aptitudinem generandi a natura* et tantum per accidens generatio non sequitur ».

Iam supra respondi, de sterilibus Zacchiam citato loco agere, qui habent *ratione aetatis* aptitudinem generandi, excludendo tum puellas impuberes tum vetulas.

Instante vero eodem in obiiciendo, et nos in respondendo, veritatis studio ducti, paulisper immoremur.

Itaque in allato libro III, tit. I, de impotentia coeundi et generandi agens, cl. Zacchia haec docet.

« Quid sit impotentia coeundi, quid item impotentia generandi, clare patet ex ipsismet verbis. Illa namque vitium est vel *naturale* vel *accidentale* quo quis impeditur alteri carnaliter commisceri. Coitus enim est applicatio maris et feminae in membris generationis, qua superfluum (h. e. semen) expellitur quantum ad finem speciei vel individui ordinata.

« Impotentia autem generandi vitium est *naturale* vel *accidentale* quo quis legitimo vel naturali coitu utens, inhabilis est ad sui similis generationem ».

Sane qui tenet impotentiam generandi qua ab impotentia coeundi contradistinguitur formaliter consistere in hoc, quod aliquis sit inhabilis ad generationem vel ob vitium naturale, vel ob vitium accidentale; ille censeri minime potest docuisse impotentem huiusmodi habere potentiam generandi a natura

et tantum per accidens generationem interdum copulam non sequi.

Ulterius in eodem libro et titulo, de causis impotentiae generandi inquirens, rursus sic docet Zacchia:

« Ex parte mulieris propemodum infinitae causae impotentiae generandi sunt quae considerari possunt tam nobilium ac principum partium vitia et intemperies et praecipue genitalium, quam menstrui sanguinis qualitatem, quantitatem, exitum, aliaque respicientes...

« Neque solum iuxta haec considerantur hae causae sed etiam **iuxta malam partium genitalium conformationem** *et situm, et iuxta tam naturales quam accidentales, ipsius uteri morbos et tam totius quam partium culpas* » (pag. 9-16)..

24. His praemissis, ut patet, P. Eschbach accusat me 1° obtruncasse verba Zacchiae, et 2° doctrinam de sterilitate, iuxta Zacchiam, venandam esse non ex libro tertio, ex quo hausi, sed ex libro nono.

25. Quoad 1m noto: locum a me relatum nullo modo mutare mentem Zacchiae; definitio enim sterilis mulieris clara et evidens est et perfecte cohaeret doctrinae Zacchiae de essentia matrimonii. Quis vero ignorat sterilitatem non impedire matrimonium, quod idcirco absolute cum illa consistere potest? At hic quaestio est quid sit sterilitas. P. Eschbach asserit definitionem, a me relatam ex Zacchia, non esse accipiendam ex libro tertio, sed ex nono, in quo ipse P. E. putat plane differentem esse definitionem ab illa, quam Zacchia tradit in libro tertio; sed perperam hoc asserit. Nam definitio mulieris sterilis a me relata invenitur in quaest. VII, libri tertii, tit. 1, in quo *ex professo* Zacchia disserit « *de sterilitate mulieris et de imperforatis* »; praeterea verba Zacchiae ab Eschbach citata: « *Magis ieiune forte* » etc. referuntur non ad sterilitatem, uti falso ipse innuit, sed ad totam materiam libri noni, tit. 3, cui titulus est: « *De impedimentis coeundi et generandi* »: et definitio sterilitatis, quam Zacchia praebet in hoc libro, invenitur in quaest. III.

lib. 9, tit. 10, ubi Zacchia agit « *De Divortio* » et ideo *accidentaliter* hic ista definitio occurrit. At utramque definitionem idem significare omnino dicendum est. **Integer locus** Zacchiae, ab Eschbach obtruncatus, est: « Primo ergo videndum, quid sit sterile, quid item sterilitas. Sterile ergo dicimus animal, quod compari iunctum in *aetate habili* non potest generare sibi simile, licet largo modo sterilem dicamus hominem, qui raro, ut si semel tantum in vita generat, *vel foetus ex propria culpa ad perfectionem deducere numquam potest* [1]. Atque hinc etiam patet, quid sit *sterilitas;* vitium enim est, ex quo animal compari iunctum *in aetate habili* generare sibi simile non potest, vel *foetus unquam ad perfectionem deducere* » [1]. Uti videtur, in hac definitione *generali* sterilitatis includitur conceptus capacitatis generandi. Quid enim significant verba « *in aetate habili* », nisi habilitatem ad generationem? Et ad quid inter steriles Zacchia ponit etiam casum mulieris, quae *fetum* ad perfectionem deducere non potest? Si conceptus sterilitatis iuxta Zacchiam deberet intelligi ut vult Eschbach, idest excludendo capacitatem generandi, sequeretur magnam adesse contradictionem in ipsa Zacchiae definitione; at hoc non est. Referens enim Zacchia causas sterilitatis, inter cetera, ait: « Ex utriusque culpa potest evenire sterilitas, *etiamsi ambo sua natura foecundi essent,* ob disconvenientiam tamen possunt esse steriles; et patet, quia cum aliis coniuncti, *generant* » [2]. Insuper doctrina haec de sterilitate cohaeret perfecte cum doctrina, quam ipse praebet, pro valore matrimonii, et quae est doctrina communis et certa, scilicet quod, ad *validitatem matrimonii,* requiritur capacitas generandi. Audi: «. Requiritur, ait Zacchia, in consum-

[1] Haec verba subsignata omisit P. Eschbach.

[2] Zacchia, *Op. cit.*, l. 9. tit. 10, q. 3, n. 22.

matione matrimonii **potentia ad generandum, quia per generationem,** quae *ex miscela* **utriusque** *seminis in unum succedit,* **vir et uxor efficiuntur una caro** iuxta illud Gen. II, 24: *Et erunt duo in carne una;* nam quid illud est, virum et uxorem effici unam carnem? Numquid simplex utriusque coniunctio per membra generationis? Nequaquam; **nam frustratoria est haec coniunctio, nisi ex ea sequi possit generatio, aut semina utriusque decisa non commisceantur ad concipiendum fetum**; si enim aliter res se haberet, iam eunuchi et quicumque concumbere possunt, etiamsi semen non emittant, possent licite contrahere matrimonium, quia per simplicem copulam carnalem consequerentur matrimonii finem, una caro effecti; sed hoc a veritate est alienum. **Ubi ergo ex coitu nulla est spes generationis,** *ex eo quod semina coniugum simul non concurrant, neque* **uniantur,** cum adhuc intra corpus non sint producta [1], **non possunt vir et uxor effici una caro, et sic non possunt matrimonium consummare** » [2].

Insuper Zacchia clare dicit: « Certum autem est coniuges fieri unam carnem, **quod est de essentia matrimonii,** non per penetrationem vasorum, sed **per commixtionem seminum** ex **parte utriusque effusorum** » [3].

Adde etiam; cum Zacchia, ex causis, quae impediunt actua-

[1] Hoc loco Zacchia agit quaestionem de pueris puellisque, nondum aptis ad generandum et ex hoc probat ad matrimonii valorem requiri potentiam generandi. Ex hoc loco deducitur resolutio de invaliditate matrimonii mulieris excisae, contraria omnino sententiae P. Eschbach. Nam si pueri et puellae nequeunt valide contrahere, quod est certum, quia, ob aetatem, nequeunt praestare essentialia elementa ad generationem, cum potentia ad prolem sit de essentia matrimonii, quomodo mulier excisa, seu orbata in perpetuum organis necessariis ad generationem, poterit valide contrahere, cum et ipsa careat requisitis substantialiter ad contrahendum?

[2] Zacchia, *Op. cit.*, L. 9, tit. 3. q. 7. n. 2.

[3] Idem, *Op. cit.*, *Consilior.*, 72, n. 11.

lem generationem, ponat illas, quae respiciunt qualitatem, quantitatem et exitum menstrui sanguinis, nonne evidenter includit causas, quae ad menstrua referuntur, scilicet ovaria et uterum? Quomodo haberi possunt tales anomaliae menstruorum absque ovariis et utero? Nonne Zacchia in conceptu impotentiae, quatenus impedimentum matrimonii, clare loquitur de fine coitus, scilicet de *specie* seu prole obtinenda?

26. Cum vero res ita sit, alia ratio non est, qua P. Eschbach asserere potest utramque definitionem Zacchiae non retinere eumdem sensum, etsi in altera definitione absint verba: « *et habeat aptitudinem generandi a natura* », nisi quia ipse in paucis verbis alicuius loci, pro more, sistit, et minime curat hunc locum conferre cum summa doctrinae auctoris, quem citat. Doctrina Zacchiae, quae communis et certa est, omnino damnat sententiam P. Eschbach, quia Zacchia expresse docet ad valorem matrimonii requiri potentiam generandi, etsi proles *per accidens* desit. Et in hoc conceptu consistit essentia sterilitatis.

Hinc sequitur: 1° verba Zacchiae a me prolata [1] nullo modo mutare mentem huius Auctoris, ut P. E. autumat; 2° definitionem a me relatam inveniri in capite, in quo *ex professo* Zacchia de sterilitate feminae agit, et 3° utramque definitionem idem significare, tum si inter se comparentur, tum si altera definitio cum doctrina conferatur, in qua idem Zacchia exponit *essentialia* ad matrimonium contrahendum.

27. Ex consectariis vero, quae P. Eschbach ex citato loco Zacchiae deducit, noto tantum, 1° quod, *quaecumque sit causa* [2], ob quam matrimonium contrahitur, semper *ad eius valorem* requiritur, ut coniuges habeant po-

[1] Cfr., *Pro Conceptu*, etc., n. 29.
[2] Cfr., *Pro Conceptu* etc., n. 45.

tentiam generandi, etsi sint steriles, idest nequeant habere *actualem* generationem ob particulare aliquod accidens, hic et nunc impediens; et 2° quod matrimonium *nullum* contrahi potest, si, ob minorem aetatem, coniuges nequeant esse apti ad generandum, quia nondum praestare valent elementa necessaria ad generationem, quod est de essentia matrimonii; et ideo *a fortiori* **nullum omnino** esse potest matrimonium cum muliere carente organis necessariis ad concipiendum fetum, idest ovariis, utero vel utrisque simul. Haec sequuntur ex doctrina communi, quam tradit ipse Zacchia, et sicut in utroque opusculo diffuse probavi.

28. Quoad vero imperforatas seu atretas mulieres, quibus in medio uteri (vaginae) obtenditur membrana aliquando tam dura, ut nulla irruentis viri violentia disrumpi possit, iam dixi in opusculo « *Pro Conceptu* » etc., n. 54. Sensus loci Zacchiae est. Sciens Zacchia, ex auctoritate Hippocratis et aliorum medicorum, mulieres atretas *posse concipere*, asserit recte eis debitum non esse denegandum; et, concesso etiam quod tales mulieres nequeant concipere, tamen vir non posset excusari ad reddendum debitum, *cum, tum vir, tum mulier, non impediantur quominus semen emittant;* ac ideo in talibus conditionibus, (scilicet emissionis seminis ex parte utriusque, quod quidem significat possibilitatem habendae prolis, etiamsi mulier non concipiat), non est illi denegandum debitum, quia est tantum *sterilis*, et sterilium matrimonium valet, etiamsi ex his *numquam* possit haberi proles, puta ob aciditatem mucus vaginalis, deviationem uteri etc., qui tamen defectus prolis est semper *per accidens*. Hic est sensus loci citati Zacchiae, et non alius, ut evidenter patet, et nullo modo, in loco citato, Zacchia loquitur de atretis feminis, in quibus membrana obtensa ita sit impervia ut nihil semi-

nis transire permittat [1]. Quum igitur Zacchia dicit, matrimonium valere, *etiam abstracta a coniugio omni spe habendae prolis,* **tantum de sterilium matrimoniis** hoc dicit, apud quos defectus generationis est tantum *per accidens*, ut pluries vidimus. Quum vero defectus generationis non sit *per accidens*, sed *per se*, cum scilicet, ut ipsius Zacchiae verbis utar, « **ex coitu nulla sit spes generationis, ex eo quod semina coniugum simul non concurrant, neque uniantur,** cum adhuc intra corpus non sint producta (et a fortiori, aio, si numquam possint produci ob carentiam organorum necessariorum) *non possunt vir et uxor effici una caro et sic non possunt matrimonium consummare* », ac ideo nequeunt valide contrahere, quia ad essentiam matrimonii necessaria est potentia generandi; quod principium est certum et immutabile, cum sit iuris naturalis et pontificii. Quo iure igitur P. Eschbach conatur in suam sententiam adducere etiam Zacchiam, qui omnino contrarium docet, nisi quia omni vi vult deploratam suam sententiam tueri cum gravi damno lectorum? Non laudabilis ipsi P. Eschbach est mos carpendi ex auctoribus quemcumque locum, qui, a contextu et tota eorum doctrina separatus, possit aliquo modo sibi favere et lectores inducere in errorem. Hoc modo nec quaerenda nec defendenda est veritas. P. Eschbach semper confundit quod theologi et canonistae appellant *impotentiam coëundi* cum *impotentia generandi*. Impotentia coëundi est vera impotentia, quae impedit vel dirimit matrimonium, cum sit perpetua, irremediabilis ac ma-

[1] De hoc casu, in quo scilicet membrana impervia sit, quae impediat ingressum seminis, vel talis naturae sit, quae matris mortem afferat in partu, si concipiat, Zacchia suam mentem non aperit, sed tantum dicit: « *Canonistae determinabunt an matrimonium cum his feminis valeat, an debitum reddi debeat* ». (ZACCHIA. *Op. cit.*, l. 7, tit. 3, q. 7, n. 11; Cfr. *De Conceptu* etc., n. 123).

trimonium antecedens, ob quam hoc vitio laborantes sunt in perpetuum incapaces prolem gignendi, ut sunt eunuchi inter viros, et mulieres excisae inter feminas; impotentia vero generandi (melius appellanda *sterilitas*, uti facit Pichler, ad removendam quamcumque confusionis causam) est incapacitas obtinendi *actualem* generationem, et ideo supponit praesentiam omnium organorum essentialium ad prolem concipiendam, quae organa *accidentaliter* tantum impediuntur, quominus hic et nunc fecundatio sequatur.

29. Pergit P. Eschbach exponens II nostrum argumentum cum refutatione.

« Argumentum II — Quae mulier coniugalis copulae perfectae inveniretur incapax, non inter simpliciter steriles collocanda foret quibus permittitur matrimonium, sed inter impotentes qui ab eodem arcentur. — Porro copula perfecta communiter ea dicitur quae *per se et natura sua est apta ad generationem seu quam generatio sequi potest.* — Si autem mulier certo careat elementis sibi propriis ad generationem, aut genitalia interna habeat atropha vel substantialiter vitiata habet, quomodo dici potest eius copulam esse talem ex qua sequi possit generatio? Nonne contractus matrimonialis ut valeat, postulat rem substantialiter aptam ex parte utriusque coniugis contrahentis?

« Responsum. — Est inter hodiernos, theologus aliquis praestantissimus qui ita recte docet.

« In humana generatione duo sunt quasi actus. Primus in copula est, quae ab *humana* pendet *voluntate* et quae *ut sit licita* sufficit, ut sit *per se apta ad generationem* et consequenter ut... nihil fiat quod positive sit contra generationem, ut est communissima doctorum sententia. Alter actus qui est continuatio primi, *ab ipsa natura* dependens, est occursus spermatis in ovulum.

« Quare steriles cum non sint *ad actum coniugalem impotentes*, licite coire possunt; immo etiam matrimonium inire. Licet *per accidens* generatio non sequatur, copula tamen rite perfecta actus adhuc *per se* aptus est ad generandum. Hucusque cl. Bucceronius.

Iam ponas Caiam coniugem post primum perfectum maritalem congressum in genitalibus internis male se habere. Mox ingravescente morbo, periti aperte declarant eamdem in vitae periculo versari unumque superesse remedium: integram scilicet genitalium extirpationem. Ad hanc demum deventum est atque paulo post ad sanitatem rediit coniux, utique physice et absolute ad generationem inapta, sed minime ad amplexus maritales coniugalemque operam minor facta.

Quid iam? Erunt-ne amplius *liciti* huiusmodi amplexus.

Si dicis: *Non;* en maritus ita te redarguens: « Uxorem accepi non solum ut prolem mihi edat, sed etiam ut in coniugio promptum contra fornicationem et concupiscentiam habeam remedium. Actum, qui solus ab humana pendet voluntate, cum uxore admitto, quin unquam aliquid positive faciamus contra generationem. Quod si mea uxor exsecta sit, hoc minime ad vitandam prolem, sed ad salvandam vitam institutum est.

« Quo iure iam ad perpetuam continentiam, licet sub eodem tecto conviventes, nos tu coges, cum, licet impotens ad generationem, tamen copulationis organa mulier mea integra prae se ferat? »

Et re quidem vera, me auctore, nulla praesto est vel naturalis vel positiva lex, coniuges huiusmodi ad continentiam perpetuam obligans. Ast si propterea respondes *affirmative*, hisce scilicet licere etiam nunc exclusa omni spe prolis, iam, teste Bucceronio, cum theologis omnibus, copula eorumdem adhuc dicenda est « *per se apta ad generationem* », cum secus licita non foret (pag. 17-18).

30. Uti videtur, P. Eschbach affert pro sua sententia etiam P. Bucceroni. At hoc est **falsum;** nam si tota doctrina rite intelligatur, qua P. Bucceroni docet quid sit *copula apta ad generationem,* contrarium penitus sententiae P. Eschbach eruitur. Ad intelligendam vero dictam doctrinam a P. Bucceroni tam lucide expositam, necesse est **integrum** eius locum referre et non ponere tantum aliqua verba, reliquis ex industria omissis. Bucceroni ait: « **Sterilitas** est in aliquo *tantum* **accidentali** *foecundationis* et generationis *impedimento,* unde vel obstaculum habeatur ingressui zoospermatis in ovu-

lum, et utriusque essentialis ad generationem elementi contactui, vel, eo posito, obstaculum habeatur actioni virtutis foecundativae zoospermatis in ovulum. Unde fit, quod eo ablato impedimento, ut saepe contingit, sequitur *actu* generatio. Quapropter copula *in huiusmodi circumstantiis est et manet semper per se apta ad generationem*, sed **per accidens** tantum, ex accidentali nempe impedimento, manet suo effectu frustrata, defectu favorabilium illarum dispositionum, in quibus illa causa inveniri debet, ut suum producat effectum. Et hic defectus **per accidens** est, ad tempus, immo ad momentum, et regulariter occultus... »

« Hinc in humana generatione duo sunt *quasi* actus. Primus in copula est, quae ab humana pendet voluntate, et quae, ut sit licita, sufficit ut **sit per se apta ad generationem**, et consequenter **hoc modo et in his aptitudinis circumstantiis fiat** [1]; adeoque nihil fiat quod positive sit contra generationem, seu generationi contrarie obstet, ut est communissima doctorum sententia. Alter actus, qui est continuatio primi, *ab ipsa natura* dependens, et non ab humana voluntate, est occursus spermatis per vaginam et uterum in ovulum, et fusio illius spermatis cum substantia ovuli, unde huius foecundatio, seu generatio habetur. **Et hoc est unam carnem** fieri. *Erunt duo in carne una,* « hoc est *in uno carnalis generationis* perfecto iustoque principio », ut inquit Caietanus Ientac. 9, q. 1, qui deinde ita rem explicat: « Et quidem quod hic interveniat *unum carnale generationis principium perfectum* clare patet; nam licet viri et mulieris sint duae carnes et singulae sint *duo partialia principia generationis;* ambae tamen concurrunt ad integrandum *unum numero completum generationis prin-*

[1] Haec posteriora verba subsignata omisit P. Eschbach, quae stricte connectuntur cum conceptu sterilitatis, quem praebet P. Bucceroni et in quibus totus quaestionis cardo consistit.

cipium ». Quare in illis verbis « sermo est de carne ipsorum coniugum, et de *unitate numerali carnalis generationis principii perfecti* ac iusti ». Caiet. ibid. Quod perfectum generationis principium *corporis commixtione* habetur, Caiet. ibid. ea certe commixtione, quae *per se est apta ad generationem*, tum ex parte viri, tum ex **parte mulieris ;** secus enim quomodo haberi potest *unum carnale generationis perfectum principium?* »

« Quare steriles cum non sint ad *actum coniugalem impotentes*, licite coire possunt; immo etiam matrimonium inire. Licet *per accidens* generatio non sequatur, copula, tamen rite perfecta, actus adhuc *per se* aptus est ad generationem. Et sic valide etiam contrahunt senes, qui matrimonium consummare valent, et viri uno carentes testiculo; item mulieres, quae possunt semen excipere, etsi illud non retineant, Gousset 791, L. 1095, et mulieres **uno** ovario carentes » [1].

Neque hoc sufficit. Idem Bucceroni paulo superius (n. 994) ait: « Ex principiis D. Thomae, inquit Billuart dissert. 7, a. 9, *Colliges* 3°, requiritur *ad consummationem matrimonii*, qua vir et mulier censentur *una* caro, quod fiat commixtio seminum seu eorum, quae sunt loco seminis ex parte mulieris ». Ergo ex principiis D. Thomae *ad matrimonium ratum requiritur potentia naturalis et physica*, Billuart l. c. ibid. ad 1. ad praedictam seminum commixtionem (scilicet seminis cum ovulo), qua coniuges fieri actu *possint una caro.* Matrimonium ergo ratum in remedium sine praedicta potentia, ad actum nempe *per se* aptum ad generationem, ex principiis D. Thomae subsistere nequit. « Ex quo patet, quod contra bonum hominis est *omnis emissio seminis tali modo, quod generatio sequi*

[1] Bucceroni, *Op. cit.*, vol. 2, n. 995.

non possit. Dico autem modum, ex quo generatio sequi non potest *secundum se*, sicut omnis emissio seminis *sine naturali commixtione maris et feminae;* propter quod huiusmodi peccata contra naturam dicuntur. Si autem *per accidens* generatio ex emissione seminis sequi non possit, non propter hoc est contra naturam, nec peccatum, sicut si contingat mulierem sterilem esse ». Contra Gent. l. 3, c. 122. « Ac ad senes quod attinet, ipse S. D. expresse nobis dicit, quod illa senum copula non est *secundum se* impotens ad generationem, sed tantum *secundum accidens*, et ideo illis et matrimonium et copula coniugalis permittitur. Imo clarius adhuc A. D. nobis dicit illam senum copulam non esse secundum suam intrinsecam naturam seu speciem impotentem ad generationem, adeoque *esse per se aptam ad generationem*, licet ex particulari tantum accidentali causa generatio non sequatur. Liceat eius verba supra allata iterum hic referre: « Actus ille est contra naturam in genere luxuriae, *ex quo non potest sequi generatio secundum communem speciem actus;* non autem ille est, ex quo non potest sequi *propter aliquod particulare accidens*, sicut est senectus vel infirmitas ». QQ. DD. de Malo q. 15, a. 2 ad 14. Unde est, quod ablato particulari illo accidente, generatio in senibus etiam et infirmis sequitur. Num, perfecto absoluteque ovariis et utero deficientibus vel utero penitus clauso, copula quae in talibus circumstantiis habeatur, dici potest actus, secundum communem sui speciem, ex quo sequi possit generatio, et consequenter ea ablata *accidentali causa* defectus uteri, ovariorum et interclusionis vaginae, generatio de facto sequatur? »

31. His relatis ad litteram locis P. Bucceroni, quodcumque commentarium omittimus, cum nimis evidenter appareat doctrinam, ibi expositam, plane contrariam esse doctrinae P. Eschbach et illam funditus evertere. Ad quid ergo, trun-

catis textibus, per fas et nefas, quaerit P. Eschbach suadere lectores etiam Bucceroni eamdem sententiam tueri, qui absolute contrarium docet? Numquam licet bona fide lectorúm abuti!

32. Quid ergo dicendum de Caia in casu a P. Eschbach relato? Hoc tantum: ex dictis patet permissionem copulae illis in adiunctis esse inducere peccatum consummatum contra naturam, cum omnis emissio seminis tantum liceat intuitu generationis, ut ait D. Thomas, et « ubi hic (finis) deest, ita ut usus matrimonii nec immediate nec mediate ad hunc serviat, *non potest esse licitus* » [1]. At, in casu Caiae excisae, certe et in perpetuum ablata est capacitas generandi.

33. Tamen prosequitur P. Eschbach in enuntiandis consectariis ex conceptu *copulae perfectae,* quam supra exposuit, et dicit:

« Caeterum cuivis, sepositis ideis praeconceptis, allatam communem copulae perfectae definitionem consideranti, facile sequentia obvia fient.

1. Quod scholae doctores uno ore tenent copulam esse debere ad generationem aptam *per se, natura sua,* seu *ratione sui,* hoc sat indigitat de aptitudine hic agi *non absoluta* sed aliquatenus *restricta* et *limitata.*

2. Huiusmodi limitatio talis est, quae aptitudinem intra fines restringit, quibus limitatur ipsius copulae natura seu essentia.

3. Essentialiter coniugalis copula est ille primus actus generationis qui ab humana pendet voluntate eumdem iuxta naturalem legem imperante.

4. Natura duce, duobus actus ille constat; debiti vasis penetratione; intra debitum vas seminatione.

5. Carnalis copula, servatis hisce duobus, admissa obiectivam relationem habet ad generationem ad quam est ut talis *per se,* seu *natura sua* apta.

6. Intrinsecae atque obiectivae huiusmodi aptitudini, officere non potest vel eam vitiare actus secundus et posterior genera-

[1] AMORT. *De Matrim.,* § 6, q. 2.

tionis ab humana voluntate non dependens; nam iam antecedenter copula est id quod est.

7. Quoties ob impedimentum aliquod, talem descriptam copulam in concreto generatio non sequitur, contingere hoc, relate ad copulam, habetur *per accidens*, nam per accidens est omne id quod non est de essentia aut necessario ex essentia non profluit.

8. In ordine ad singularem copulam *per accidens* etiam se habet ipsum generationis obstaculum, quatenus tale, h. e. quatenus hic et nunc generationi obstat. In quantum autem hoc est temporaneum aut perpetuum, et sanabile aut non, in utero sedem obtineat aut in oviductibus aut in ovariis, in organorum depravatione existat aut in eorumdem defectu, haec omnia ipsius obstaculi qua talis atque respectu habito ad singularem copulam, speciem non mutant. Quare.

9. Substantialiter etiam deformatis aut deficientibus femineis genitalibus internis, non secus ac si de temporanea physica generandi impotentia agatur, copula superius descripta semper est *per se* atque *natura sua apta ad generationem*, et quae ad talem saltem copulam est idonea, uti simpliciter sterilis habetur (p. 19-20).

34. Ad quae pauca innuam. 1° Omnes doctores ecclesiastici, tum theologi, tum canonistae, cum loquuntur de *copula perfecta*, semper intelligunt copulam, ex qua vere possit sequi generatio, ut late probavi [1]; 2° quando vero copulam nequeat sequi proles *per se* vel *per accidens*, supra dixi; vidimus etiam quid sit ex S. Thoma et in *Pro Conceptu* (n. 55) [2]; 3° Conceptus copulae nequit considerari tantum *in se ipso*, sed *relate ad finem*, ad quem a natura destinatur; copula a natura destinatur tantum ad generationem; per ipsam copulam enim regulariter fit, ut, per coniunctionem carnalem, semen fecundet ovulum; copula vero tantum licet in matrimonio, cuius *essentialissimus* finis est proles gignenda, cum ceteri fines matrimoniales

[1] Cfr., *Pro Conceptu* etc., n. 8-10.

[2] Cf., etiam Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, 3a edit., vol. VI, n. 865 (nota).

tantum accessorii sint et nullo modo illi essentiales; hinc copula in matrimonio non potest considerari nisi relate ad eius naturalem finem, saltem possibilem, consequendum. Ex quo patet in conceptu copulae, qualis in matrimonio requiritur, attendendum esse an carentia prolis sit *per se* vel *per accidens;* habetur carentia prolis *per se,* cum generatio sit in perpetuum et irremediabiliter impossibilis; et tunc copula cum emissione seminis est contra naturam, cum semen frustratur naturali fine, ad quem ordinatur; quod quidem fit congrediendo cum muliere excisa; carentia vero generationis *per accidens* habetur, ut pluries iam diximus, cum in coniugibus organa necessaria ad generationem adsunt, at aliquid obstat, quominus generatio actualis sequatur. Et hoc discrimen inter copulam infecundam *per se* et *per accidens* maximi momenti est et prae oculis semper habendum, nisi maximi errores circa valorem matrimonii et relativas quaestiones committi velint. Hinc etiam sequitur, mulierem excisam non posse haberi ut simpliciter sterilem, sed **vere** impotentem ad contrahendum, cum *careat corpore physice apto ad generandum,* cum **traditio corporum physice aptorum ad generationem** sit de essentia matrimonii, ut ait, cum communi, S. Alfonsus [1]. Ceterum, quum dicitur copula *per se* apta ad generationem, quod haec locutio intelligenda sit de vera copula physiologica, ex qua sequi possit vere generatio, praeter finem essentialissimum matrimonii, ius naturae et pontificium, quibus innititur *unanimis* consensus totius scholae omnium temporum, habemus praxim ipsam Ecclesiae, quam sequitur S. C. Datariae. Leginus enim in instructionibus recenter ab ipsa datis: « Notandum in primis est, quoad affinitatem, eam non exoriri nisi ex copula, et ex ea copula, quae sit per

[1] S. Alfonsus, *Theol. mor.,* De Matrim., n. 1095.

se sufficiens ad generandum, qua nempe seminum commixtio seu *concursus utriusque seminis ex parte viri et ex parte feminae habeatur*. Habita copula, in quo vir seminaverit, iure *praesumitur* intervenire concursum utriusque seminis et maris et feminae. Quare tunc semper petenda est dispensatio ab affinitate ibi orta; **nisi praesumptio cedere debeat certae veritati, si mulier** ex. gr. **perfecte careat utero et ovariis. Semen enim tunc, seu ovulum ad generationem physiologice requisitum ex parte feminae omnino deest, et consequenter copula tunc non est amplius copula per se sufficiens ad generationem** » [1].

35. Hoc insuper discrimen inter copulam infecundam *per se* et *per accidens*, omnes theologi et canonistae rite exponunt, cum agunt de impotentia, ex quibus sufficiat audire S. Alfonsum, qui ait: « Impotentia, de qua hic loquimur, est illa, propter quam coniuges non possunt copulam habere *per se aptam* ad generationem; unde sicut invalidum est matrimonium inter eos, qui possunt copulari, esto *per accidens* nequeant generare, puta quia steriles aut senes, vel quia femina semen non retinet; ita nullum est matrimonium inter eos, qui nequeant consummare *eo actu, quo ex se* esset possibilis generatio » [2]. Ut clare patet, S. D. hic perfecte distinguit copulam per se aptam ad generationem

[1] *Praxis Apostolicarum dispensationum sup. imped. matrim. sec. ref. formul. Apostolicae Datariae* etc., Romae 1902, pag. 11. — In hac quaestione sequens iuvat afferre particulare. Emus Card. Aloisi-Masella in speciali Congreg. habita, quando actum fuit de huiusmodi praxeos publicatione, eam legit, examinavit et adprobavit, et de hoc puncto in particulari ab ipso Emo Cardin. mota fuit specialis quaestio et post specialiorem discussionem illud in particulari adprobavit. Et notandum quod Emus non tantum erat Pro-Datarius, sed etiam membrum S. Officii et functus munere Secretarii eiusdem Congr. in absentia Emi Parocchi.

[2] S. Alfonsus, De Matrim., n. 1095, res. 3.

et copulam per se non aptam. Copula vero, quae per se sit apta ad generandum, non est certe illa habita cum femina castrata; ipsa enim nequit consummare matrimonium eo actu, quo *ex se* esset possibilis generatio; nam, ut possibilis sit generatio, necesse est ut ipsa habeat ovaria et uterum; et hoc est, ex doctrina S. D. cum communi, impedimentum impotentiae, quod matrimonium prohibet. Adde insuper S. Alfonsum explicite docere feminam, quae non potest *per se* generare, esse impotentem. Ait enim: « Impotentiam in femina esse censetur, quando vel *seminare non potest, si verum est semen feminarum requiri ad generationem,* vel propter arctitudinem non potest virum pati, aut eius semen accipere » [3]. Atqui semen mulieris, necessarium ad generationem, est ovulum, et femina excisa illo caret in perpetuum; ergo est **impotens** et non sterilis tantum. Neque ad hoc P. Eschbach obiciat S. D. pro semine mulieris intelligere illum mucum, quem ordinarie in coitu ipsa emittit; nam explicite S. D. loquitur de semine, quale **requiritur ad generationem** et **nonnisi ad generationem,** et non agit quaestionem an semen mulieris sit mucus aut quidquid aliud; agit tantum et explicite *de vera generatione*, ad quam omnino requiritur ovulum et uterus.

36. P. Eschbach ad melius probandum quod copula *per se* apta ad generationem consistit *tantum* in emissione seminis ex parte viri et in receptione in vagina ex parte feminae, nullo habito respectu ad rationem physiologicam et ad finem naturalem copulae in matrimonio ex parte mulieris. (pag. 21) affert, 1° locum Sanchezii, in quo Sanchez affirmat matrimonium mulieris ita affectae ut « certum esset fore ut filios omnes mortuos pareret, » esse validum, quia ad essentiam matrimonii « non est obligatio ad prolem, sed ad

[1] S. Alfonsus, De Matrim., n. 1095, res. 3.
[3] Idem, ibid.

actum coniugalem »; 2° alium Sanchezii locum, in quo Sanchez declarat eunuchorum matrimonia esse invalida, « quia ad veritatem matrimonii desideratur potentia verum semen intra vas femineum immittendi »; 3° Dictam superius definitionem Laymann de impotentia; 4° locum Amort, qui ait: « impotentia est inhabilitas corporalis ad copulam carnalem *de se* ad generationem prolis idoneam. Dicitur *de se;* potest enim contingere *per accidens*, e. g. ob debilitatem spirituum seminativorum in viro aut femina, vel ob *indispositionem matricis* in muliere, quod copula carnalis etiam perfecta, hoc est per effusionem seminis in vagina mulieris *completa*, non sit idonea ad generationem prolis; 5° locum supra dictum Salmanticensium de validitate matrimonii *sterilium* et *vetularum;* 6° locum Schmalzgrüber, qui dicit de *sterilibus,* qui, etsi nequeant prolem habere, possunt tamen finem secundarium assequi (pag. 23).

37. Quid haec loca conferre possint ad sententiam P. E. tuendam, nemo videt. Semper in ipso occurrit eadem confusio conceptus sterilitatis et impotentiae, semper eadem negligentia principiorum certorum de essentia matrimonii, semper idem mos attendendi ad simplicem litteram auctorum, et nunquam conferrre loca allata cum summa doctrinae certae, quam Aa. ipsi exponunt.

38. Tamen videamus breviter quid valeant singula loca a P. Eschbach citata pro sua sententia.

Ad 1um dico: P. Eschbach *non recte* intelligere quid sint illa verba Sanchezii: « quamvis matrimonium sit propter prolem, at de essentia eius non est obligatio ad prolem, sed ad actum coniugalem ». Significant, dicam cum Haine declarante eadem verba S. Thomae, quae refert Sanchez, quod « quamvis ad matrimonii essentiam minime pertineat ut illud consummetur, *potentia tamen ad eius consummationem*, **seu ad copulam generationi aptam, ita necessario requiritur,** ut **sine ea**

matrimonium consistere nequeat »[1]. Et quid requiritur ad consummationem matrimonii? Cum Sanchez dicam: « *ad matrimonii consummationem requiritur* **copula, ex qua sequi potest generatio** »[2]. Quid ergo concludit locus citatus Sanchezii pro sententia P. Eschbach? Hic intelligit nomine *actus coniugalis* copulam quamcumque habitam a coniugibus, praescindendo semper ab eius naturali fine. At non recte: copula enim coniugalis, sicut docet S. Alfonsus cum communi, est illa *sola*, quae exercetur a coniugibus *habentibus corpora physice apta ad generandum*, et ut probavi in « *Pro Conceptu* » n. 47 et 50. Et iam vidimus ex S. Thoma et communi DD., copulam habitam cum omnino et in perpetuum incapaci ad generandum, ut est mulier excisa, esse contra naturam.

Ad 2m, scilicet de matrimoniis eunuchorum invalidis et de eodem loco Sanchezii contrario Auctori, quem refutamus, cfr. quae dixi in « *Pro Conceptu* » n. 51, quin eadem repetam.

Ad 3m, scilicet de definitione Laymann de impotentia, supra retuli doctrinam huius Auctoris de essentia matrimonii; quae doctrina penitus destruit ac evertit sententiam P. Eschbach.

Ad 4m, seu de loco Amort, iam dixi in « *Pro Conceptu* » n. 39, ex quo item contrarium eruitur doctrinae P. E.

Sed tamen nonnulla alia addam, ut clarissime videatur quomodo Amort *penitus* contrariam P. Eschbach doctrinam semper doceat. In toto suo opere de matrimonio Amort tuetur usum matrimonii tunc *tantum* licitum evadere, cum *mediate* vel *immediate* potest inservire ad prolem generandam; imo in tota *Quaest.* XXIV, cum loquitur de liceitate

[1] Haine, *Theol. mor., Elementa ex S. Thoma* etc., 1899, edit. IV, tom. IV, c. 8, n. 41 ad 3.

[2] Sanchez, *Op. cit.*, l. 2, d. 21, n. 11.

usus matrimonii tempore praegnationis, etsi *ordinarie* nequeat hoc tempore haberi proles, quamvis superfetatio impossibilis non sit, valide demonstrat, agmen Auctorum adducendo, usum non licere nisi intuitu generationis, quae, si in praegnatione deest, est tantum *per accidens* et copula mediate ad generationem ordinatur. Sed melius erit nonnulla loca citare.

« Matrimonium, ait Amort, est contractus inter marem et feminam *per se et suo genere* ad individuam vitae societatem, *actusque ad generationem prolis* obligans » [1].

« Materia huius Sacramenti est contractus civilis intra marem et feminam ad individuam vitae societatem ac *per se, ex genere suo, etiam ad generationem prolis ordinatus* » [2].

Quid Amort docet de matrimonio sterilium? Audi: Steriles contrahunt valide, si sterilitas sit *naturalis*, quia, ait, « non potest sciri an sterilitas sit perpetua, prout patet ex multis, *qui primum sero genuerunt*; neque ea est talis defectus, qui sine miraculo stricte dicto curari non possit ». Ait insuper quod remotio causae sterilitatis potest obtineri a Deo, « non tamquam miracula, sed tamquam beneficia ».

« Si sterilitas, pergit Amort, causata fuerit *artificialiter* per potum seu venenum sterilitatis, constituit **verum impedimentum dirimens matrimonii titulo impotentiae; quia hoc venenum destruit seu corrumpit ipsa organa generationis,** nempe **ipsam matricem, ovaria** vel **testiculos** » [3]. Ergo, ex doctrina Amort, mulier excisa, quae organa generationis, scilicet matricem et ovaria, amplius non habet, quod idem est ac destructio totalis, est vere impotens et matrimonium contrahere non potest. Quid si-

[1] AMORT, *Theol. eclect. mor. scholast.*, De Matrim., § II, quaer. 1.
[2] Idem, ibid., q. 4.
[3] Idem, ibid., q. 114.

gnificat pro P. Eschbach haec doctrina Amort? Quomodo igitur potest pro sua sententia hunc auctorem afferre?

Ad 5m, seu de loco Salmanticensium, iam superius probavimus Salmanticensium doctrinam talem esse, quae destruit plene doctrinam P. Eschbach.

Ad 6m, seu de loco Schmalzgrüber, idem dicendum, cum notum sit matrimonium sterilium valere, quia in illis adest potentia generandi, etsi tantum *per accidens* actualis generatio absit, ut omnes DD. hoc sensu loquuntur. Quid ergo remanet de conceptu P. Eschbach relate ad copulam aptam ad generationem? Quid concludendum? Hoc tantum concludendum: eius conceptus est **falsus** 1° *in se*, quia, in dicta formula Auctorum, semper includitur conceptus generationis, qui ideo nullo modo excludi debet [1]; 2° *physiologice*, quia copula physiologica seu naturalis est illa, quae ordinatur tantum ad prolem gignendam, ac ideo, perpetue exclusa, ob castrationem mulieris, possibilitate prolis, coitus est contra naturam; 3° *relate ad finem praecipuum matrimonii;* nam matrimonium habet ut finem essentialissimum generationem, quae ideo nullo modo excludi potest, ut constat ex iure naturali et pontificio; hac de causa capacitas generandi est *de essentia* matrimonii; sedatio concupiscentiae et alii fines haberi non possunt, exclusa omnino, ob impotentiam, possibilitate generandi. « Matrimonium non est tantum in remedium, docet S. Thomas, contra peccatum, sed *principaliter* est in officium naturae » [2]. Quomodo vero potest esse *principaliter* in officium, cum hoc impossibile sit in perpetuum habere per matrimonium cum excisa muliere; et si *principaliter* est in officium, quomodo matrimonium valide contrahi potest tantum in *remedium,* quod est solum *accidentale* et principale supponit ac sequitur? 4° *relate ad doctrinam catholi-*

[1] Cfr., *Pro Conceptu* etc., n. 9 et 55-56.

[2] S. Thomas, *Suppl.*, Q. 42, ad 2.

cam de matrimonio, quia copula intellecta, ut P. Eschbach vult, destruit penitus totam doctrinam catholicam de hoc Sacramento; nam Ecclesia permittit tantum matrimonium, cum possibilis est proles et hanc semper *praesumit* possibilem, nisi contrarium evidenter constat. Quae omnia late probavi, refellendo VII propositionem P. E., qua statuere volebat copulam perfectam haberi tantum in emissione seminis virilis in vas feminae, nullo modo attendendo ad capacitatem generandi ex parte mulieris [1].

CAPUT III.

39. Accedit Argum. III a P. Eschbach collectum, iuxta ipsum, ex nostra doctrina, et relativum responsum, scilicet:

« Argumentum III. — Sanchez et plurimi cum eo errarunt circa necessaria ad prolem concipiendam; propterea falso docuerunt ad copulam perfectam sufficere, ut vir semen in vas femineum emittat. Nonne clare perspicitur quaestionem de modo generationis esse quaestionem physiologicam quae omnino effugit competentiam canonistae et theologi?

« Ex veteribus, tantum principia certa sunt accipienda et omnia quae physiologiam spectant repellenda, quando evidens est illa esse falsa ».

« Responsum. — Animadvertas imprimis velim, quod, stante adversarii theoria, non Sanchezium tantum cum schola integra sed ipsam Dei Ecclesiam per bis fere mille annos errasse dicendum foret. Sane certissimum est in causis matrimonialibus supremum ecclesiasticum iudicem, ad fundamenti instar, semper principium posuisse, coniugia, re inter coniuges cum immissione seminis semel habita, ob impotentiam aut sterilitatem numquam posse solvi, cum tunc solemne valeat divinum oraculum: « Quod Deus coniunxit homo non separet ». Porro communiter sterilitatem in concreto ab substantialibus organorum vitiis causari, periti nos docent.

Pontifices autem per tot saecula ex inscitia, sterilium ma-

[1] Cfr., *Pro Conceptu* etc., nn. 47-56.

trimoniorum firmitatem tam constanter, posthabitis etiam infaustissimis passim sequelis cum probabili periculo errandi tuitos esse, quis unquam admittet?

Ulterius, dum « clare perspicitur quaestionem de *modo generationis* esse quaestionem physiologicam », clarius ni fallor, patet nos hic non generationis modum exquirere, sed potius, qualis potentia ad generationis actum, in praesenti statu naturae lapsae, necessaria sit et sufficiat ad matrimonium ineundum.

Aliis verbis, quaestio est haec: Utrum veri coniuges sint, atque sola morte dissolubiles, ii qui rite uniti semel prout natura id docet, secum concubuerint, vel utrum e contra, etiam post habitam copulam, coniuges huiusmodi nonnisi conditionate tales habendi sint, donec, edita prole, constet mulierem non habere genitalia interna ita vitiata ut impotens sit ad prolificationem; quare si tractu temporis, deficiente prole, periti talem impotentiam detegant, separandi forent.

Porro talis quaestio, cum respectum ad originale peccatum habeat, necnon ad sacramentum matrimonii, ecclesiastica quam maxime est, quae utique physiologorum, sed minime « competentiam theologorum aut canonistarum effugit » (pag. 24-25).

10. In primis noto, argumentum ita positum non esse rectum; quod ita sit, provenit ex hoc, quod P. Eschbach collegit, pro more, propositiones seu periodos huius argumenti ex pluribus paginis mei opusc. *Pro Conceptu*; quae propositiones, consequenter, nequeunt, ita collectae, praebere totam doctrinam, quam tuemur. Dixi argumentum non **rectum**. Probo. In toto *Pro Conceptu* et praesertim in nn. 8, 9, 12, 14, 22, 23, 48, 51, et in *De Conceptu* etc. praesertim nn. 15, 16, 18 et ss., ostendi, in quaestionibus de affinitate, impotentia, consummatione matrimonii etc., in omnibus Auctoribus, tum theologis, tum canonistis, necesse esse recte distinguere *principia certa* de hisce quaestionibus ab *explicatione* seu *applicatione scientifica*, quae ad illa principia refertur. Quod vero Auctores praedicti passim hoc faciant et *physiologicas notiones principiis certis applicent,* negare tantum potest, qui vel nullum auctorem veterem legit vel non

intellexit vel renuit intelligere. Princeps, qui ita agit, est classicus Sanchez, a quo sequentes scriptores generatim omnia transcripserunt, quin studuerint noscere, an, quod Sanchez pro suo tempore tueri poterat, adhuc esset defendendum. Hinc factum est, ut errores physiologici passim occurrant, etiam in recentioribus libris de matrimonio, ad quos conscribendos auctores contenti sunt plerumque afferre, saepe etiam ad litteram, quae veteres tradiderunt; quod quidem minime ad eorum decus vertit. Si vero tot errores inveniuntur de rebus physiologicis, minime hoc occurrit de *principiis certis* iuris naturalis et pontificii, quae omnes auctores rite tradunt. Ex. gr. *principium certum* ex Sanchez, cum communi, est: « *ad matrimonii consummationem* (ideoque ad eius valorem) *requiritur copula, ex qua sequi potest generatio* ». Quaestio vero physiologica est: *ut ex copula sequi possit generatio, quid requiritur? Sufficit-ne semen virile, quin mulier aliquid necessario praebeat?* Quis non videt utramque quaestionem adeo inter se esse connexam, ut prima in praxi definiri nequeat, nisi altera plene et certo noscatur? Et quid factum est apud veteres? Defectu notionum certarum anatomiae et physiologiae, duplex habebatur sententia; prima erat Hippocratis et plurimorum, qui tuebantur ad generationem, praeter semen virile, requiri *necessario* etiam semen feminae, etsi ignotum fuerit quid esset hoc semen, an mucus vaginalis, an menstrua etc.; altera erat Aristotelis et plurium aliorum, qui defendebant ad generationem sufficere semen virile, et mulierem nihil necessarium praebere. Theologi vero, qui matrimoniales quaestiones primo et ex professo tractarunt, uti Sanchez, facile intellexerunt connexionem necessariam inter dictum principium et rationem physiologicam generationis. Et quid faciendum erat in hisce conditionibus physiologicis? En: exposuerunt hi Aa. utramque sententiam, cum agerent

de affinitate, impotentia etc.; et, cum Aristotelis auctoritas tanti haberetur, huius sententiam potius amplexati sunt, ita tamen ut contrariam sententiam minime damnarent, immo, ob minorem auctoritatem, *minus probabilem*, prae altera *probabiliori*, appellarunt; huius status quaestionis consectarium erat apud veteres: *probabile* esse ad generationem requiri semen viri et feminae; *probabilius* esse ad generationem sufficere semen virile. At semper remanet principium certum: « *ad matrimonii consummationem*, ut ait Sanchez cum communi, *requiritur copula, ex qua sequi potest generatio* ». Ex hoc sequitur hoc principium certum iuris naturae et pontificii non respondere veritati scientificae de necessario requisitis ad generationem penes illos Auctores, qui aristotelicam sententiam tuebantur, quia veritas scientifica absoluta est: ad generationem requiri necessario ovulum, in ovariis confectum, et uterum ad illius evolutionem ex parte feminae. Et, cum in his quaestionibus, Auctores agunt semper *de vera generatione humana per copulam habenda*, ut late probavi [1], patet quod in argumento confecto a P. Eschbach, idea generationis, in conceptu copulae perfectae, non erat omittenda. Qua re, his inspectis, argumentum P. E. haud parum claudicat.

41. Quoad vero incommoda ab ipso P. Eschbach allata, noto tantum: post praemissa in praecedentibus meis opusculis et paulo superius, sequitur 1° neque Sanchezium, neque integram scholam, neque ipsam Dei Ecclesiam errasse, cum per bis fere mille annos docuerint coniugia esse indissolubilia post copulam habitam cum immissione seminis virilis in vas muliebre, quia tum praefati Aa., tum Ecclesia semper **praesumunt**, habita copula, capacitatem mulieris ad generationem, nisi **contrarium** certe constet; et scimus, Ecclesiam, in causis matrimonialibus, in quibus grave dubium

[1] Cfr. *Pro Conceptu* etc., n. 9. 10 et passim.

erat de capacitate mulieris ad generandum, petiisse a peritis medicis, per inspectionem corporalem, statum internorum et externorum organorum, ut in quatuor recentioribus causis propositis S. C. C. factum esse novimus; sequitur: 2º P. Eschbach graviter errasse et errare intelligendo copulam perfectam illam, in qua habetur *tantum* receptio seminis ex parte mulieris, abstrahendo scilicet a capacitate huius generandi. Nam dicam cum Amort, « copula coniugalis neque ex natura rei a Deo tamquam Auctore naturae, neque ex natura Sacramenti a Deo tamquam Auctore gratiae fuit ordinata » nisi « *ad generationem prolis* » [1]. Item semen et copula ipsa ad nil aliud, ex lege naturae, servire debent, nisi, mediate, vel immediate, ad generationem. Et quia, in casu mulieris excisae, semen frustratur necessario eius naturali fine, copula, ut vidimus, est contra naturam; sequitur 3º RR. Pontifices non errasse tuendo firmitatem matrimoniorum sterilium, quia, melius quam P. Eschbach, sciebant in sterilibus generationem impediri tantum *per accidens;* cum vero noscerent certo coniuges inhabiles esse ad generationem non *per accidens*, sed *absolute et in perpetuum et irremediabiliter,* declarabant matrimonii nullitatem; item, quia sciebant potentiam ad generandum esse de essentia matrimonii, declararunt nulla matrimonia impuberum, nondum habilium ad prolem gignendam, et matrimonia contrahenda vel contracta sub conditione bono prolis contraria, et matrimonia eunuchorum, quibus deest irremediabiliter capacitas generandi, sicut patet ex iure canonico et naturali; sequitur 4º in praesenti statu naturae lapsae necessarium esse coniuges habere omnes illas physicas dispositiones, quas requirit matrimonii natura primitus instituti; at finis unicus (ante peccatum) fuit propagatio ge-

[1] AMORT, *Op. cit.*, § 6, q. 2.

neris humani; post peccatum vero non data fuit matrimonio primitivo altera institutio; sed Deus voluit consectaria peccati mitigari per illud ipsum primitivum matrimonium, quatenus scilicet homo, concupiscentia carnis allectus, matrimonio uteretur ad prolis generationem; nam, concupiscentia abstracta, fere nullum matrimonium contractum amplius fuisset. Qua re patet, coniuges, ad valide contrahendum, debere habere, ut ait S. Alfonsus cum communi, corpora physice apta ad generandum, quod est de essentia matrimonii; sequitur 5° ex omnibus praemissis, coniuges veros habendos esse, qui habent capacitatem generandi, etsi *per accidens* non generent. Quod si, etiam multos post annos a nuptiis, coniux noscat irremediabilem inaptitudinem compartis ad generandum, existentem ante nuptias; puta ob carentiam ovariorum vel uteri in uxore, vel testiculorum in viro, nequeunt haberi ut veri coniuges; et causa deferenda est ad iudicem ecclesiasticum ad vitanda scandala, ut declaret nullitatem matrimonii, quia nullum matrimonium esse potest, cum desit in contrahentibus in perpetuum et absolute capacitas generandi, cum haec capacitas sit de essentia matrimonii.

42. Attamen hoc non satis est P. Eschbach; nam pergit irruere contra communem doctrinam adducendo principia ex divo Thoma et S. Bonaventura. Haec principia ad haec, iuxta P. Eschbach, reducuntur: 1° Matrimonium plures habet fines; unusquisque finis honestus est et licitus; 2° Matrimonium est in officium naturae et in remedium; 3° quamvis in matrimonio non sit « bonum prolis, possunt esse alia bona, etsi matrimonium non habeat intentum suum, secundum quod est in officium naturae, habet tamen secundum quod est in remedium per carnalem copulam, et ubi est certe impossibilitas ad bonum prolis, tunc matrimonium est ibi in remedium, non in officium »; 4° finis secundarius habetur per copulam,

in qua vir effundit semen in vas mulieris; 5° dummodo adsit haec potentia seminandi intra vas, non est impedimentum dirimens, quemcumque defectum patiatur mulier, dummodo possit semen recipere; 6° Theologi et canonistae hoc sentiunt; nam Ballerini-Palmieri, ex theologis, aiunt: « duplex impotentia distingui potest; altera coëundi, altera generandi. Impotentia coëundi est vitium vel *naturale* vel *accidentale* impediens maris ac feminae carnalem commixtionem, quae huc essentialiter redit, *ut semen virile vas seu vaginam subintret...* Impotentia autem generandi est vitium *naturale* vel *accidentale* impediens quominus ex maris et feminae copula carnali perfecta sequatur generatio prolis et propagatio speciei ». Gasparri, vero ex canonistis, ait: « Si vir membro virili in vas mulieris penetravit et semen in vaginam deposuit, copula est undequaque plena et perfecta; si exinde conceptio non sequitur, vitium est naturae non copulae ». (Pag. 24, 25, 26).

43. En, benigne lector, graves auctoritates, quas P. Eschbach sententiam suam tueri fatetur. Est-ne verum, praesertim haec duo luminaria, S. Thomam et S. Bonaventuram, communi doctrinae adversari? Statim dico: hoc **falsum esse**.

Supra enim iam vidimus doctrinam S. Thomae de Sacramento matrimonii, quae refertur ad praesentem quaestionem et late expositam potest quisquam conferre in Bucceroni (*op. cit.*, vol. 2, n. 991), ex qua evidentissime eruit contrarium doctrinae P. Eschbach, et in meo opusc. « *Pro Conceptu* » nn. 42-45; et quoad spectat S. Bonaventuram cfr. in eodem opusculo n. 31. Omnia haec, quae hisce locis a P. Bucceroni et a me exposita sunt, P. Eschbach omnino praetergreditur, velut ac si numquam legisset aut non intellexisset, et insinuat in lectoribus iudicium, quod eius sententia cohaereat cum doctrina S. Thomae et S. Bonaventurae, qui, ut omnes facile noscere possunt, penitus contrarium docent. Ita agendo,

non studet, sed *contradicit* quam maxime veritati. Et hoc respondet dictis in n. 1 et 2 a P. Eschbach. Quoad 3^m^, S. Bonaventura loquitur tantum de carentia prolis in casu *sterilitatis*. (Cfr. *Pro Conceptu* n. 31).

Quoad 4^m^ dico cum Amort et communi, finem secundarium obtineri non posse, absque possibilitate finis primarii; nam usus matrimonii non est licitus, nisi « in ordine ad finem naturalem matrimonii, nempe ad generationem prolis. Ergo ubi hic deest, ita ut usus matrimonii nec immediate, nec mediate ad hunc serviat, non potest esse licitus » [1], quia, iuxta S. Thomam, talis usus esset contra naturam, ut supra vidimus. Copula vero apta ad generationem *per se* est tantum illa, ex qua sequi potest generatio, quaeque requiritur ad consummationem ac ideo ad valorem matrimonii.

Ad 5^m^. Quapropter, ex dictis sequitur, mulierem, quae essentiales defectus patiatur, uti carentiam ovariorum vel uteri vel ovariorum et uteri simul, laborare impedimento dirimente impotentiae, ac ideo non posse valide contrahere, cum ad valorem huius sacramenti necessario requiratur potentia generandi, quam ipsa amplius non retinet, sicut eunuchus, et eius copula, ex S. Thoma, est semper contra naturam.

Ad 6^m^. Dico locum citatum ex Ballerini-Palmieri non esse completum, *sed obtruncatum* a P. Eschbach; nam post verba « ut *semen virile vas seu vaginam feminae subintret* », dicti Aa. addunt haec verba: « *requiritur sane sanguinum*, ut aiebant veteres, *commixtio* ». Ergo etiam mulier debet aliquid praestare, ut habeatur *sanguinum* commixtio. Quid est sanguis hic requisitus? Audi classicum Perez: « *idest semen*, quod honestiori nomine dicitur *sanguis* » [2].

[1] Amort, *Op. cit.*, § 6, q. 3.

[2] Perez, *De Matrim.*, d. 31, sect. 1, n. 1. Idem docent Salmanticenses uti supra vidimus.

Hinc pergunt Ballerini-Palmieri: « Quod autem veteres *femineum semen* vocabant, ex cuius coniunctione seu mixtione cum semine virili fecundatio oritur et conceptio, *est* **reapse ovulum**, ut recentiorum studia docuerunt... Porro mixtione facta ovuli et seminis virilis illud habetur, quod requiritur et sufficit, ut generatio existat » [1]. Et *in hoc consistit consummatio matrimonii seu fieri una caro*, quod requiritur, ut matrimonium existat [2]. Dein pergunt praedicti Auctores: « Cum veteres ignorarent existentiam *ovuli* in femina, ex quo per semen virile foecundato procreatur novus homo, loqui de eo nequibant; aliquid tamen et a femina active praestare plures saltem non ignorabant; inde est illa locutio: *commixtio sanguinum*. Huic nunc substituenda altera clara et certa: *commixtio seminis virilis cum ovulo feminae*. Utrumque sane elementum ex aequo necessarium est ad generationem; ideoque, quemadmodum non est copula apta ad generationem ea, in qua deesset semen virile (qualis illa foret, quam eunuchus haberet), ita pariter apta non est ad generationem copula, ubi desit *ovum* feminae, quod merito et ipsum vocandum esset semen... Quocirca *copula per se apta generationi*, **quae requiritur, ne sit impotentia, postulat utrumque elementum et praeterea postulat, ut per se sit possibilis coniunctio utriusque.** Secus haberi poterit potestas ad copulam, sed non ad copulam aptam generationi; illa gaudent etiam eunuchi, atque feminae carentes ovariis et utero, hanc non habent mares carentes spermate ac feminae carentes ovis. Porro *actus matrimonialis, quo fiunt coniuges una caro; est copula apta generationi*, ad quam copulam proinde etiam S. Thomas requirit commixtionem sanguinum; **finis**

[1] Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, n. 672.
[2] Idem, ibid., n. 220.

enim matrimonii proprius et principalis est procreatio prolis, ita **ut finis quoque secundarius,** qui est sedatio concupiscentiae, **per copulam tantum idoneam generationi sit obtinendus** ».

« Cum dixerimus copulam aptam *per se* generationi, explicanda est ea particula *per se.* Dicitur copula *per se* apta, quae instructa est omnibus elementis, quae natura tamquam necessaria praestituit generationi obtinendae; haec autem sunt *sperma virile, ovulum feminae, aditus pervius spermati ad ovulum, ut illud attingat,* sine qua locum non habet fecundatio; *uno ex his deficiente,* deest *potestas ad copulam aptam generationi* et **adest impotentia.** Si *eadem elementa existant quidem, sed quodam vitio laborent, vel causa aliqua ipsis extrinseca impediatur ne agant, habetur ineptitudo per* **accidens** *atque haec vocatur* **sterilitas.** Diximus tertio loco *aditum pervium* etc.; moderni autem physiologi pressius rem definiunt postulantes *uterum,* in quo ovum fecundatum evolvitur et maturescit; etsi enim occurrant foetus extrauterini, ii tamen numquam habent locum deficiente utero. — Si elementa per se requisita non perpetuo, sed aliquando desint, hic defectus non impedit matrimonium, quod exigit quidem potestatem ad copulam, non ipsam copulam eamque subito; prohibet tamen hic defectus, ne, eo existente, copula habeatur, qui, cum non sit apta generationi, non est actus coniugalis. Ut autem haec prohibitio vim suam exerceat, oportet defectum hunc esse certum; in dubio enim praevalet ius certum coniugum ad copulam » [1].

Ex expositis, nonne clare videtur hos Auctores, Ballerini-Palmieri, tum in 2ª, tum in 3ª editione, penitus contrarium sententiae P. Eschbach docere?... Quo iure ergo P. Eschbach

[1] Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, n. 865, nota.

cogit lectores putare dictos Aa. suam sententiam patrocinari, dum tam perspicue oppositum tradunt?

De loco vero, quem P. Eschbach citat ex Gasparri, dicimus tantum hunc auctorem sequi in omnibus his quaestionibus sententiam P. Eschbach, ideoque in illo etiam occurrere plura ex iis, quae defendit, per fas et nefas, P. Eschbach. Doctrinam Gasparri de hac re ad examen revocavimus et refutavimus in opusc. *De Conceptu* etc. in nn. 118-123. Interea, quoad locum citatum haec notamus: 1° Hucusque vidimus quae sit copula perfecta, scilicet est ea, ex qua potest sequi generatio; conceptus huius copulae physiologicae, quae est et matrimonialis, non potest separari ab eius fine, ad quem a a natura ordinatur; hinc si mulier habeat potentiam ad generationem, copula cum immissione et receptione seminis, est perfecta ex utraque parte; si vero *certo* constet mulierem esse excisam, copula habita, cum emissione seminis in vaginam, non est amplius physiologica ac ideo neque coniugalis, neque perfecta, cum impossibilis sit generatio, et non quidem *per accidens*, sed *absolute*, *per se* et *in perpetuum*. Finis enim seminis, instituti a natura, sicut copulae, est tantum propter prolem, saltem possibilem; et cum hic finis nullo modo et in perpetuum nequeat obtineri cum muliere excisa, eius emissio est peccatum consummatum contra naturam; 2° ex dictis sequitur, quam maxime attendendum in his quaestionibus utrum, habita copula, generatio non sequatur *per se* vel *per accidens*; in primo enim casu habetur *impotentia* proprie dicta, si sit antecedens, perpetua et absque remedio naturali; in altero vero habetur tantum *sterilitas*. At non est iudicanda in praxi impotentia mulieris, nisi *certo* constet eam esse vere incapacem ad generationem, puta si esset excisa; in casu vero contrario, *praesumitur* semper eius potentia ad generationem, cum decisio ovuli et fecundatio sit factum mere internum et sunt

multae causae, ob quas, etiam fecundatione peracta, ovulum non evolvitur, sed deperditur, quin mulier hoc advertat, vel etiam multae aliae causae possunt impedire actualem generationem, etiamsi mulier sit perfecte habilis ad generandum, scilicet etiam cum menstruis perfecte regularibus etc.

Quid hinc tenendum de responsione et de rationibus P. Eschbach in hoc tertio argumento, lector ipse nunc facile iudicet.

44. Accedit IV argum., in quo P. Eschbach putat exposuisse doctrinam sibi contrariam, quam statim refutat.

« Argumentum IV. — Nulliter coniuges contrahunt, qui ita in genitalibus deficientes inveniuntur, ut « una caro » fieri nequeant. Porro « quandonam, sic arguit adversarius, censentur coniuges fieri una caro, ex quo indissolubilitas matrimonii? Imprimis, considerando .verba ipsa: « et erunt duo in carne una », clare liquet ex dualitate personarum, hic expressa, debere confici aliquid unicum, et cum haec dualitas personarum evidenter innuatur statuta ad prolem obtinendam, usque dum hoc unum ex copula coniugum non oriatur, « una caro » coniuges non fiunt; sed, cum hoc obtinetur, seu novus homo oritur, coniuges vere una caro effecti sunt, quia unum quod ex duobus resultat, vere partem utriusque coniugis retinet.

« Hinc dicendum est coniuges per copulam fieri unam carnem, cum elementa necessaria ad prolem obtinendam, *actualiter* vel *potentialiter* subministrent seu cum habeantur nemaspermata ex parte viri, ovulum et uterus ex parte mulieris.

« Hinc sequitur potentiam hanc conficiendi unam carnem ex parte coniugum, seu consummandi matrimonium, esse de essentía matrimonii ».

« Responsum. — Solemne in re praesenti utique est Geneseos II, 24, oraculum, quod nostra Vulgata ita legit: « *Quamobrem dixit Adam: Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* ». Haec iam verba mirum est quanta ubertate Patres atque Scripturarum interpretes, sub ratione tum morali tum iuridica et civili, commentati sint. Missis autem huiusmodi significationibus, sensum potius litteralem, proprium atque immediatum inquirere hic debemus.

Scias itaque « quod Vulgata vertit: *et erunt duo in carne una*, id magis ad verbum exprimit LXX, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Sensus autem omnino est: *et erunt duo una caro;* quod patet cum ex indole linguae hebraicae, tum ex authentica Christi interpretatione: « *iam non sunt duo sed una caro* », et S. Pauli, I Cor. VI, 16, definientis idem esse « erunt duo in carne una » et « unum corpus efficere ». Sicut supra dictum est Adam factum esse in animam viventem, pro eo quod est Adam factum esse hominem viventem; ita dictum est hoc loco: « erunt duo in carne una, vel in carnem unam, pro eo quod est: « erunt duo una caro ». — Ita recentissimi scriptores S. I. magni operis cui titulus: *Cursus Scripturae auctoribus R. Cornely aliisque S. I. presbyteris* (1895).

Et revera Apostolus sic Corinthios reprehendit: « *An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur; erunt enim, inquit, duo in carne una* ». Iam vero praeter carnalem unionem inter scortatorem et meretricem aliam invenire non est. Quare recte ita Ystella O. P. « Ad actum generationis oportet utramque virtutem coniungi, quae, cum in distinctis sint corporibus, tunc quasi unum corpus et una caro coniunguntur, ut utraque vis in generatione adsit; et quia, quantum ad actum naturae et speciem non differunt in hoc uxor, et non uxor, ideo haec adhaesio in unitate carnis etiam in nefario concubitu verificatur ».

Quare etiam Pontifices in iure condendo, tum positive coniuges per carnalem copulam, tum negative, non nisi qui ita carnaliter se cognoverint, fieri unam carnem decreverunt. « Cum *vir et uxor una caro sint per copulam coniugalem effecti*, profecto non est alter recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat ». (C. *Ad Apostol. de conv. conj.* — Cf. c. *Laudabilem, de frigid. et malef.*). — Et rursus « Protoplastus ille prophetico spiritu inter alia protulit: Propter hoc relinquet patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Quibus verbis innotuit non *aliter virum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohaereant.* Qui nequaquam mixtus est extraneae mulieri foedere nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis verba possunt fieri una caro, nullatenus valemus intueri. Propinquitas enim carnis verbis dicitur, non verbis efficitur, sed

neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit *sanguinis commixtionem* ». (c. *Lex divinae*, causa 27, q. 2).

Ex his deducitur formalem rationem quare coniuges fiant una caro, esse utriusque sanguinis specificam commixtionem, quae intra copulam in femineo vase contingit » (pag. 27-29).

45. De argumento allato a P. Eschbach et inter lineas posito ad indicandum se illud hausisse ad litteram ex meo opusc. *De Conceptu*, lector certe stupebit, considerando cum ipsum non teneat et praesertim in conclusione, quae incipit: « *hinc dicendum* » etc., quaeque ex verbis supra relatis nullo modo sequitur. At rogo lectorem minime mirari si ita res est. P. Eschbach enim eumdem semper retinet morem continuo mutilandi et corrumpendi loca auctorum, ut ex mutilatione absurdum pateat et odium iniiciat in lectores de doctrina sibi contraria. Argumentum expositum a P. Eschbach conficitur ex pluribus propositionibus collectis ex nn. 8, 9 et 10 dicti opusculi; at ita collectae propositiones non habent sensum, quem retinent in citatis numeris, quos lector ipse conferre potest. Sensus doctrinae ibi a me expositae ad haec reducitur: ab initio Deus matrimonium instituit **tantum** ad propagationem generis humani, ut eruitur ex Gen. I, 27, II, 23-24 et ex Matth. XIX, 4, 5; vir potest quocumque tempore coniungi cum femina cum seminatione, quia semen servatur in vesiculis seminalibus; femina vero habet promptum ovulum fecundandum semel in mense, quia semel in mense ex ovariis decidit. Hinc sequitur, copula habita, posse duo occurrere, scilicet vel fecundatio fit, quia semen fecundavit ovulum iam decisum, vel fecundatio non fit, quia vel ovulum nondum deciderat, vel quia plures aliae causae potuerunt impedire actualem fecundationem. Et cum consummare matrimonium vel fieri unam carnem, significet, ex Sanchez cum communi, *habere copulam, ex qua possit sequi generatio*, deducitur tam per copulam, ex qua oritur

fecundatio, quam per copulam, ex qua tantum *accidentaliter* fecundatio non sequitur, at si illa *causa accidentalis hic et nunc* impediens non fuisset, proles secuta esset, *semper matrimonium consummatum evadere;* primam consummationem voco *consummationem in actu*, quia proles de facto secuta est, alteram appello *consummationem in potentia*, quia ex coniugibus orta esset proles, si nil obstitisset. Cum vero, post matrimonium primitus *unice* ad prolem gignendam institutum, homo peccasset, tunc, ex ceteris malis, concupiscentia carnis ortum duxit, cuius sedatio Deus permisit ut haberetur tantum per illud ipsum matrimonium iam institutum et non per aliud novum. Hinc patet sedationem concupiscentiae non esse nisi quid *accessorium et accidentale* in matrimonio, cum potestas peccandi penderet tantum a libera voluntate hominis. Cuius doctrinae consectarium est, capacitatem generandi esse *de essentia* matrimonii ita, ut absque ea nullum matrimonium contrahi valide possit; et hoc est impedimentum impotentiae. Quod vero haec sit doctrina exposita in nn. 8, 9, 10 dicti mei opusculi, lectorem rogo attente conferre et videre an argumentum confectum a P. Eschbach respondeat expositae doctrinae.

46. His praemissis consideramus refutationem P. Eschbach. Verba Gen. II, 24 « Quamobrem dixit Adam: Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una », P. Eschbach intelligit quod coniuges ipsi sunt *una caro*. — Ad verba Gen. nunc exposita noto, cum interpretibus, in ipsis contineri omnes leges, quae regere debent matrimonium tum contrahendum et contractum, tum eius officia et vitam ipsam coniugalem. Ac proinde interpretes illa verba exposuerunt iuxta omnes fines et rationes matrimonii; hinc verba « *erunt duo in carne una* » plures sensus habent; significant enim cum S. Chrysostomo, amoris affectum, quia carnaliter con-

iuges se diligunt; vel cum D. Hieronymo et S. Thoma cum communi *effective*, quia ex ipsis unam carnem, scilicet unam prolem, coniuges generant; vel cum Caietano significant potestatem corporum, quam coniuges sibi invicem habent; vel genesim feminae ex costa seu carne viri, cum Augustino; vel habent sensum mere civilem, quia vir et uxor sunt velut unus homo, unaque persona civilis etc. Quod omnes hae interpretationes eruantur ex dictis verbis Gen. nil mirum, iterum dicimus, quia dicta verba continent totam legislationem, ut ita dicam, de hoc Sacramento. Quid ex hoc deduci potest?

47. Sed antequam progrediamur, oportet aliquid dicere de loco Apostoli ad Corinth., citato a P. Eschbach, scilicet: « An nescitis quoniam, qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur; *erunt enim*, inquit, *duo in carne una* ». « Iam vero, pergit Eschbach, praeter carnalem unionem inter scortatorem et meretricem aliam invenire non est ». Haec verba P. Eschbach non sunt *recta;* nam si ad finem respicimus, ob quem scortator accedit ad meretricem, certo nullus alius inveniri potest, nisi satisfactio libidinis per emissionem seminis in nefario hoc concubitu; si vero concubitum ipsum inspicimus, hic concubitus *per se* sufficiens est ad generationem, quae, si abest, provenit tantum ex vita libidinosa mulieris et ex frequentioribus amplexibus, qui, ut omnes norunt, potentiam generationis minuunt, vel suspendunt; scimus enim ex experientia meretrices, qui diu miseram talem vitam degerunt, ad meliorem frugem postea reductas et matrimonio copulatas, perfecte concepisse et peperisse. Qua re etiam in nefaria copula cum meretrice inveniuntur, omnia necessaria, ex communi doctrina, ad habendam copulam perfectam, scilicet ex qua sequi potest generatio; quod est fieri unam carnem. At in matrimonio huiusmodi

copula illud consummat. Quomodo ergo ex loco Apost. inferri potest ipsos coniuges esse *unam carnem?*

Et hoc sensu loquitur Ystella, si integer locus referatur et non partialiter, ut agit P. Eschbach. Ystella enim dicit: « Rursum, erunt duo in carne una, quia *non solum* **ad unam carnem prolis procreandam conveniunt**; sed ipsi *quasi* unum corpus et caro una se habeant; in arbore siquidem vis activa et passiva sunt in uno corpore; at in animalibus in diversis corporibus; ceterum *ad actum generationis oportet utramque virtutem coniungi*, quae, cum in distinctis sit corporibus, tunc *quasi* unum corpus et una caro coniunguntur, ut *utraque vis in generatione adsit* (et in hac generatione non est amplius *quasi una caro*, sed *una caro*); et quia quantum ad actum naturae et speciem *non differunt in hoc uxor et non uxor*, ideo haec secunda cohaesio in unitate carnis etiam in nefario concubitu verificatur, quo modo et S. Paulus intelligi potest I Cor. 6 etc. » [1]. Sed de hoc ipso loco Apost. paulo inferius etiam dicam.

48. Attamen, quidquid sit de multiplici significatione, quam habent, penes varios Aa., verba Genes., in praesenti quaestione habemus magisterium et vocem authenticam Ecclesiae, quae nos docet quo sensu nobis verba Gen. accipienda sint. Iam vidimus [2] in iure pontificio passim RR. PP. adhibere indiscriminatim varios dicendi modos, uti ex. gr. *cognoscere propriam uxorem, illi carnaliter commisceri, non posse per coniugalem copulam unam carnem fieri*, et similia; quae omnia idem significant ac verbum Scripturarum *cognoscere*, quod indicat habere cum uxore copulam, ex qua possit haberi generatio. Ita ex. gr. in loco a P. Eschbach citato: « Cum vir et uxor *una caro sint per copulam*

[1] Ystella Lud., *Comment. in S. Genesim.*, Romae 1601, c. II, n. 71.
[2] Cfr. *De Conceptu* etc., nn. 12, 13, 14.

coniugalem effecti, profecto non est alter recipiendus ad observantiam regularem, nisi etc. ». At P. Eschbach non recte intelligit quid sit copula coniugalis; ipse enim putat semper, hanc esse copulam, quam mechanice seu physice habent coniuges *simpliciter*. *Copula coniugalis* contra est, cum S. Alfonso et communi, *illa, quam agunt coniuges habentes corpora physice apta ad generationem* [1] et non alias; quapropter debet esse talis, ex qua sequi possit generatio. Ecclesia igitur et cum ea *omnes* ecclesiastici scriptores, tum theologi, tum canonistae, in praesenti quaestione, verba « *fieri unam carnem* » intelligunt semper de copula, ex qua sequi possit generatio [2], et non de alia quacumque larvata copula, ex qua impossibilis sit generatio, uti esset cum muliere excisa.

49. At P. Eschbach, relato canone Papae Benedicti, concludit « *fieri unam carnem* » consistere in specifica commixtione utriusque sanguinis, « *quae intra copulam in femineo vase contingit* ». At notandum in verbis canonis citati omnia haec non posse deduci, sed hoc tantum: ut coniuges fiant una caro, necesse est ut *adsit per copulam commixtio sanguinis;* quod vero haec commixtio fiat in vase vaginali, est deductio tantum mentis P. Eschbach. Sed quid est *commixtio sanguinis?* Ut vidimus superius ex Perez, Salmanticentibus, Ballerini-Palmieri et communi (Cfr. opusc, *De Conceptu*, nn. 19-59), non est nisi commixtio seminum, seu elementorum necessariorum ad generationem; et aliter dicta verba non possunt accipi, etiamsi P. Eschbach in nota addat: « Per seminationem autem viri intra vas iam sunt una caro non solo tactu, sed etiam et maxime per sanguinis commixtionem ». Si P. Eschbach nomine

[1] Cfr. *Pro Conceptu* etc., n. 50.
[2] Cfr. *De Conceptu* etc., nn. 19-59.

sanguinis intelligit quod communiter sanguinem vocamus, in copula nullus emittitur nec adest sanguis, ac ideo nulla commixtio; si intelligit nomine sanguinis semen virile, *pari ratione* debet intelligi et ovulum feminae, quod factum est ad eumdem finem, ad quem ordinantur et semen virile et copula, scilicet ad prolem; si vero intelligit nomine sanguinis semen in viro et mucum vulvo-vaginalem in femina, tunc talis commixtio nihil significat, cum ad nihil inserviat nec physice nec physiologice. Qua re commixtio sanguinis debet accipi iuxta finem copulae, ob quem commixtio ipsa fit; et copula est tantum ad generationem; ac ideo commixtio sanguinis non potest esse nisi commixtio elementorum viri et feminae, ex qua potest oriri proles, idest seminis cum ovulo, uti semper omnes DD. intellexerunt, exceptis P. Eschbach et paucissimis eius asseclis.

50. At P. Eschbach, ad fulciendam meliori, quo ipse putat modo, hanc suam doctrinam, pergit:

« Sed iam quid Dominus Salvator ipse hac de re nos docere dignatus est, audiamus. Apud Matth. XIX, 3, haec habentur: « Accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa. Qui respondens ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet ». In Dominica haec verba sic Caietanus:

« Circa verba: *Erunt duo in carne una*, difficultas occurrit de qua carne est sermo, an, scilicet, de carne coniugum inter se, an de carne coniugum in sua prole. Nam contra primum sensum militat veritas, quia non est una numero caro coniugum, sed, quantumcumque iungantur, semper remanent duae; quoniam non continuantur, sed solo tactu iunguntur.

« Contra secundum vero militat requisita sufficientia. Licet verum sit, quod coniuges sint duo in una carne prolis, hoc tamen non sufficit ad verificandam Domini sententiam; nam ad

verificandam rationem Domini inferentis: *quod ergo Deus coniunxit homo non separet*, exigit illius carnis unitas, ex qua sufficienter infertur inseparabilitas coniugum. Constat autem quod ex unitate carnis prolis, non sufficienter infertur inseparabilitas coniugum, quoniam coniuges non habent hanc unitatem antequam uxor sit gravida, ut patet, ac per hoc separabiles essent coniuges steriles et etiam antequam uxor sit gravida, quia non sunt adhuc duo in carne una prolis ».

In Commentario Evang. idem Caietanus rursus docet, quod, stante declaratione Domini Iesu, verba Geneseos de carne prolis, ac si legendum foret: « et erunt duo in carne una generanda », interpretari non licet.

Eodem sensu Tostatus Abulensis episcopus: « Quaeritur, quare dicitur: *Et erunt duo in carne una?* Dicendum quod communiter solet exponi, quod per hoc intelligatur actus matrimonialis, scilicet: duo erunt ad unam carnem producendam. Sic Hieron. scilicet: erunt duo in carne una, proemium enim nuptiarum est ex duobus unam carnem, scilicet prolis, fieri.

Alii autem exponunt: in carne una, id est, ambo sunt una caro, quia de una carne veniunt; nam femina de viro formata est.... Alio modo exponitur: erunt duo in carne, id est, duo erunt una caro, scilicet una persona. Et iste est verus sensus, et non praecedentes.

Primo, quia consonat modo loquendi: sic enim dicitur 2 Reg. 7. *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium*, id est, ego ero pater eius, et ipse erit filius meus. Et illud: *ego ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum*, id est, ego ero Deus eorum, et ipsi populus meus. Ita hic: erunt duo in carne una, id est una caro. « Dicere autem: *erunt in carne una*, id est, ad procreandam unam carnem, videtur esse aliqualis extorsio et non habetur similis modus loquendi ex Scriptura.

Secundo, ista expositio sententiae consonat sequenti: *Iam non sunt duo, sed una caro*. Ergo cum dicitur: *Erunt duo in carne una*, est sensus quod duo erunt una caro, et non quod erunt ad procreationem unius carnis.

Tertio, quia accipiendo illam expositionem, nihil facit littera ad propositum Christi. Ipse enim vult probare hic, quod matrimonium viri et uxoris non est separandum, et hoc quia iam non sunt duo, sed unum, et in unitate non est distinctoi,

sed solum violenta sectio, et istud procedet, si coniuges non dicantur esse duo, sed una caro; et tamen, accipiendo expositionem aliam, nihil est ad propositum, quia tunc non sunt coniuges unum, sed sunt duo ad producendum unam carnem, et tamen necesse est facere auctoritatem illam ad propositum Christi, ideo necesse est exponi quod erunt duo in carne una, id est, una caro. Et iste modus est loquendi iuris humani, *Extrav. de Conv. Coniug.*, c. *ad Apostolicam*, scilicet: Postquam vir et uxor per copulam coniugalem sunt una caro effecti, non potest una pars ad Deum converti, altera in saeculo remanente, et ita non sunt duo ad procreandam unam carnem, sed *ipsi sunt una caro*. Ista ergo tertia expositio est vera et debet teneri ».

Et eamdem recentissimi etiam tenent mox laudati scriptores S. I. aientes (l. c. et *In Matth.*) quod « in prole nonnisi remotius dici possunt coniuges una caro », sed ipsi sunt una caro, unum quasi corpus; quare Christus infert « non magis posse separari virum ab uxore, quam possit in duo dividi una caro », atque « sicut carnem secare scelestum est, ita et uxorem dirimere iniquum; neque hic stetit, sed Deum quoque attulit dicens: *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, ostendens illud et contra naturam et contra legem esse: contra naturam, quia una caro dissecatur; contra legem, quia cum Deus coniunxerit et iusserit non separare, vos id facere tentatis ». (S. Chrys.).

Ex hucusque enunciatis in plano est, quid de adversarii adserto sentiendum sit, quod tunc cum « novus homo oritur, coniuges vere una caro effecti sunt ». Caeterum ad absurda sententiam hanc conducere, hodie melius notis physiologiae legibus, exploratum est. Scimus enim mulieres minime in promptu semper habere ovula quae vir copulans foecundet, sed unum tantum huiusmodi per mensem secernere. Quare passim contingit coniuges multoties rei venereae indulgere, quin proles inde sequatur. Quid? Dicemus-ne coniuges interea post tot repetitas copulas, cum seminatione intra vas, nondum esse unam carnem factos, neque matrimonium esse adhuc consummatum? Utique, teste Caietano, dicendum id foret, semel posita sententia in prole coniuges fieri unam carnem, ac propterea sententiam hanc esse respuendam ipse idem Caietanus aperte declarat. Non sic autem auctor quem hic impugnamus. « Evidens est, ait, τo fieri unam carnem per copulam duplici modo accipiendum esse scilicet

in *actu* vel *in potentia*, prout generatio sequatur vel sequi possit ».

Ergo, cum matrimonium consummari et coniuges fieri unam carnem, convertantur, donec repetitis copulis uxor sit gravida, *actu* non erit consummatum coniugium, sed *in potentia* tantum. Porro matrimonium omne quod nondum *actu* est consummatum, Pontificia dispensatione solvi potest. Ergo, stante adversarii sententia Pontifici ius foret dissociandi coniuges repetitis etiam copulis unitos, quod sane inauditum est atque falsum.

Neque dicas te non in scholasticorum sensu distinctionem inter actum et potentiam hic assumpsisse, cum hoc merum foret atque inefficax effugium. Praeter quam quod verba sumenda sint sensu ad quem manifestandum fuerint introducta, qui tenet nonnisi in prole *actu* seu effective coniuges fieri unam carnem et proinde consummare suum matrimonium, ineluctabiliter cum Caietano ponere cogitur, quod, antequam proles concipiatur, coniuges « essent separabiles ». — Falsum consequens, ergo et antecedens (pag. 29-33).

51. Contra omnia haec plura sunt notanda: 1° P. Eschbach locum Caietani nec recte, nec integrum citat; *non recte*, quia nonnulla verba omittit, quae tamen aliquid significant, ut conferri potest in opusc. *Pro Conceptu* etc., n. 6; *non integrum*, quia, post verba citata a P. Eschbach, Caietanus sequitur: « Secundo de quali unitate est sermo, an de unitate coniugali, an de unitate carnali. Nam si de carnali intelligitur, sequeretur quod etiam fornicantes essent inseparabiles, quia effecti sunt carnaliter una caro. Si autem de coniugali est sermo, obstat Apostol. II Corinth. VI, ubi ex allegato testimonio Gen., erunt, inquit, duo in carne una, dicit: Qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur ». Uti videtur, P. Eschbach ex industria omisit cardinem quaestionis praesentis. Sed audiamus quid sentiat Caietanus.

« Ad hoc dicitur, pergit Caietanus, quod sermo est de carne ipsorum coniugum *et de unitate numerali carnalis generationis principii perfecti ac iusti;* ita quod sensus

est, quod erunt duo in carne una; hoc est *in uno carnali generationis perfecto iustoque principio.* Et quidem, quod interveniat hic *unum carnale generationis principium*, clare patet; nam licet mulieris et viri sint duae carnes et singulae sint duo partialia principia generationis; *ambae tamen concurrunt ad integrandum* **unum numero completum generationis principium.** Quod vero hoc unum carnale perfectum principium sit etiam iustum in coniunctionem coniugum, ex eo patet, *quod inter coniuges et fornicarios haec est differentia, quod in fornicarie se commiscentibus* **invenitur hoc tantum,** scilicet, **quod integrant unum completum generationis principium,** sed non invenitur alia conditio, scilicet quod iustitia, scilicet quod illud principium sit non solum completum, sed iustum; in coniugibus autem coniunctio *fit ad integrandum non solum* **unum** *perfectum, sed etiam iustum* **generationis principium.** Unde et in Gen. ubi primo ponantur haec verba, praemittitur: adhaerebit uxori suae; et subiungitur: erunt duo in carne una per nominatam uxorem, significans quod de iusta unitate loquebatur dicendo: erunt duo in carne una... In hominibus quoque unum generationis principium perfectum appetitus carnalis facit, ut patet in fornicariis, adulterinis et incestuosis commixtionibus; sed quod completum generationis **principium unum** sit etiam iustum, fecit Deus instituendo in humano genere coniugium, et propterea infertur: quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Et per hoc patet responsio ad utrumque ambiguitatis caput et solutio omnium obiectorum, nisi obiectionis allatae ex Apostolo. Ad quam dicitur, quod Apostolus ibi usus est illa auctoritate, quantum ad id *quod est materiale in unitate coniugii*, h. e. *quantum ad ipsam corporum commixtionem*, **qua fit unum perfectum generationis carnalis principium;** hoc enim sufficiebat suo proposito, et non quantum ad totum in

illis verbis Gen. comprehenditur. Unde non obstat integritati totius sensus » [1]. — Ad hunc locum nullum addo commentarium, cum evidentissime et clarissime Caietanus doceat doctrinam perfecte contrariam doctrinae P. Eschbach.

2° De loco vero Tostati, dicendum quod verba Christi: « erunt duo in carne una » possunt intelligi etiam *civiliter*, quia vir et uxor sunt velut una persona civilis. Sed hoc nonnisi *valde remote*. At *principalius* debent intelligi cum communi relate ad prolem; 1° quia ipse Tostatus explicans eadem verba Gen., quae Dominus Christus retulit, ita tantum intelligit, dicens: « Et erunt duo in carne una, idest duo, scilicet vir et uxor, coniungentur **ad unam prolis procreationem, miscendo semen** [2]. — 2° Notum est in interpretanda S. Scriptura, sensum litteralem semper tenendum, donec graves rationes, puta absurditatis vel impossibilitatis, contrarium suadeant. Videamus an locus citatus a Christo litteraliter intellectus, aliquid absurdum habeat, et sit conveniens demonstrationi Christi. Notum est ex Matth. XIX, 4. 5 Pharisaeos quaesivisse a Domino Iesu, utrum liceret dimittere uxorem quacumque ex causa. Et Christus Dñus respondit eis, afferens locum Gen., « Non legistis » etc. Locus vero Gen. refertur *ad institutionem* matrimonii, ordinati *tantum* ad generationem prolis, et in dictis verbis continentur omnes proprietates matrimonii, scilicet quod sit in officium naturae, indissolubile, causa mutui amoris, benevolentiae etc. Sensus litteralis est: « *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos* », idest Iesus Christus affirmat Deum creasse diversitatem sexus nonnisi ad generandam prolem; nam liquet diversitatem sexus ad hanc tantum necessariam fuisse. « *Propter hoc dimittet homo pa-*

[1] FERRARIS, *Promptae bibliothecae*, tom. 9, edit. a Bucceroni, ad vocem « *unum* ».

[2] TOSTATI, *Opera*. Venetiis 1615. *In Gen.* quaest. 28, G.

trem et matrem et adhaerebit uxori suae », scilicet, cum fecerit Deus diversitatem sexus tantum ad propagationem hominum, hac de causa, homo relinquet suos genitores, non amore, non benevolentia, sed, si opus fuerit, cohabitatione, ut tantum cum uxore vivat. « *Et erunt duo in carne una* », scilicet, cum uterque sexus factus sit propter generationem, sequitur quod carnaliter commisceantur. Et commixtione facta, qualis requiritur ad generandam prolem, consequitur: « *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* », idest indissolubile evadere matrimonium, quia coniuges iam consecuti sunt quod per matrimonium obtinendum ab ipsis erat. Uti videtur, ex doctrina Iesu Christi indissolubilitas oritur, iure divino, statim ac coniuges facti sint una caro, idest copulam habuerint, ex qua possit sequi generatio. Quapropter sensus litteralis nihil absurdi habet et est plene conveniens demonstrationi Christi, qui volebat Pharisaeos docere indissolubilitatem matrimonii, sicut fuit ab initio. Si sensus litteralis non esset tenendus et locus citatus sensu morali vel civili esset intelligendus, scilicet quod ipsi coniuges sint una caro, ex qua indissolubilitas, sequeretur coniuges, inito vix matrimonio, ac ob id statim moraliter unam carnem effectos, esse inseparabiles. Sed contra est doctrina et praxis Ecclesiae, quae « fieri unam carnem » intelligit de copula coniugali, apta ad generationem, et non de unitate morali seu civili; ac proinde R. P. potestatem sibi vindicat dissolvendi, ob graves rationes, matrimonia fidelium rite contracta et non consummata per copulam carnalem, ex qua possit sequi generatio. Si locus citatus interpretandus esset, ut vult P. Eschbach cum Tostato, R. P. numquam posset matrimonia solvere, quia, his semel contractis, coniuges sunt iam moraliter una caro effecti. Quod falsum est. Ergo ex mente Iesu Christi, locus citatus intelligendus est de copula coniugali apta ad generationem seu de carne

prolis per copulam habenda, ut intelligit Ecclesia, quae tantum ius habet declarandi auctoritative verum sensum Scripturarum [1].

3° Occasione huius loci Tostati, noto, P. Eschbach non sibi cohaerere. Superius enim vidimus ipsum docere « rationem, qua coniuges fiant una caro, esse utriusque sanguinis specificam commixtionem, quae *intra copulam* in femineo vase contingit », etsi ipse non dicat quid sit haec commixtio; quod certum tamen est ipsum admittere necessitatem copulae, etsi false intellectae; heic contra, excludit cum Tostato quamvis ideam copulae et tuetur coniuges ipsos esse unam carnem, semel contracto vix matrimonio, h. e. fieri unam carnem moraliter esse intelligendum. Ipse hanc contradictionem solvere studeat!

4° De loco scriptorum S. I., qui aiunt *nonnisi remote* dicta verba Matth. intelligenda esse de prole, idem dicendum ac de loco Tostati. Ecclesia illa verba intelligit, ut nuper vidimus, et cum ea tota schola catholica omnium temporum. Quae tamen diximus, non excludunt illa verba habere *posse* etiam sensum moralem, qui tamen sensus in litterali semper fundatur; sed omnino excludunt, in presenti quaestione, *debere* intelligi moraliter. Ratio agendi Ecclesiae nobis suprema lex est.

52. Ex praemissis patet doctrinam et totam scholam catholicam penitus adversari sententiae P. Eschbach. De ceteris, quae P. Eschbach contra me asserit, scilicet me tueri *tunc* consummatum evadere matrimonium, cum novus oritur homo, dico hanc asseritonem P. Eschbach esse *omnino falsam* et ille tantum potest hoc affirmare, qui vel non intellexit vel renuit intelligere, quae scripsi in *De Conceptu* etc. in nn. 7-10 et 98 et in *Pro Conceptu* etc. in nn. 1-4.

[1] De eodem loco Tostati etc.; Cfr. *Pro Conceptu* etc., n. 6.

Quod vero P. Eschbach valde pertinaciter pergat intelligere, uti vult, consummationem *in actu* et *in potentia*, pergat quidem; at nn. mox citati et res hic expositae clare indicant qualis talium consummationum sit sensus. Et si P. Eschbach tanta admiratione afficitur ob illos dicendi modos a me adhibitos, sciat communiter fieri ut sensus alicuius verbi a scriptoribus particulariter adhibeatur, qui nullam aequivocationem praebere potes, cum indicatur sensus ab auctore intellectus. In particularibus vero quaestionibus nefas est verba accipere aliter a sensu, quem illis auctor tribuit. Qui aliter agit, ad minus suspicionem inferre potest in lectoribus, quod odium velit in adversarium iniicere. In omnibus quaestionibus oportet secum ferre amorem in quaerenda veritate, *magnam sinceritatem in afferendis textibus integris, non mutilatis,* studium exponendi *totam veritatem,* uti est, etiam cum sacrificio amoris proprii et nil aliud prae oculis habere quam cultum integrum veritatis.

CAPUT IV.

53. Neque hoc satis est P. Eschbach. In opusculo: « *De Conceptu* » etc., n. 25 et in alio « *Pro Conceptu* » etc., n. 54, attuli, inter cetera argumenta Aa., locum Zacchiae, in quo hic Auctor clare docet, cum communi, ad *validitatem* matrimonii requiri aptitudinem ad generandum, ita ut, hac omnino in perpetuum exclusa, nullum matrimonium validum consistere possit. At P. Eschbach audet etiam hunc Zacchiae locum detorquere. En locus cum interpretatione, quam de eo praebet.

« Argumentum V. — Una est atque communis scholae de requisitis ad copulam matrimonium consummantem doctrina, quam Zacchia hisce verbis exponit:

« Requiritur in consummatione matrimonii *potentia ad generandum, quia per generationem*, quae ex miscela utriusque seminis in unum succedit, *vir et uxor efficiuntur una caro*, iuxta illud Gen. II, 24: « et erunt duo in carne una »; nam quid illud est, virum et uxorem effici unam carnem? Num simplex utriusque coniunctio per membra generationis? Nequaquam; nam *frustratoria est haec coniunctio, nisi ex ea sequi possit generatio, aut semina utriusque decisa non commisceantur ad concipiendum foetum;* si enim aliter res se haberet, iam eunuchi et quicumque concumbere possunt, etiamsi semen non emittant, possent licite contrahere matrimonium, quia per simplicem copulam carnalem consequerentur matrimonii finem, una caro effecti; sed hoc a veritate est alienum. Ubi ergo *ex coitu nulla est spes generationis,* ex eo quod semina coniugum simul non concurrant, neque uniantur, cum adhuc intra corpus non sint producta, non possunt vir et uxor effici una caro et sic non possunt matrimonium consummare ».

Porro, correcto errore veterum et retento eorum principio, ex supra citatis sequitur, coniuges non posse effici unam carnem nec matrimonium consummare apud quos virile semen atque ovulum femineum simul concurrere nequeunt. Ergo huiusmodi ad contrahendum sunt inhabiles.

Responsum. — Zacchiam mox relatum ratiocinium non instituisse de aptitudine generandi requisita in *genere* pro valore matrimonii, sed de aptitudine *ratione aetatis*, h. e. de pueris et de puellis nondum ad generandum aptis, « intra quorum corpus semina nondum sunt producta », sponte cuique legenti apparet. Caeterum auctorem alibi docuisse scimus huiusmodi inter steriles non recenseri, nam « sterilis nomen non convenit ei cui conveniret alias nomen foecundae ». Quare steriles solas habet feminas, quae, *in aetate habili*, vel ob malam partium conformationem et situm, vel ob alias earumdem culpas, generare sibi simile non possunt. His tamen coniugium non prohibetur, quia in copula semen emittere valent, unde uterque coniux potest habere remedium concupiscentiae et usu matrimonii mutuam dilectionem fovere (pag. 34-35).

51. Videamus an responsio P. Eschbach cohaereat loco Zacchiae et hunc locum ad analysim revocemus. Ibi Zacchia

quaerit, utrum impuberes possint valide contrahere. Ad talem quaestionem solvendam, Zacchia *principium omnino* **generale** pro validitate matrimonii exponit, *praescindendo a quocumque casu particulari*, dicens: « requiritur in consummatione matrimonii [1] *potentia ad generandum, quia per generationem, quae ex miscela utriusque seminis in unum succedit,* **vir et uxor efficiuntur una caro,** iuxta illud Gen. « et erunt duo in carne una ». Qua ratione vero haec potentia generandi requiritur ad validitatem? Audi. « Nam, pergit Zacchia, quid illud est, virum et uxorem effici unam carnem? Num simplex utriusque coniunctio per membra generationis? Nequaquam; nam *frustratoria est haec coniunctio,* **nisi ex ea sequi possit generatio, aut semina utriusque decisa non commisceantur ad concipiendum fetum;** si enim aliter res se haberet, iam eunuchi et quicumque concumbere possunt, etiamsi semen non emittant, possent licite contrahere matrimonium, quia per simplicem copulam carnalem consequerentur matrimonii finem, una caro effecti; sed **hoc a veritate est alienum** ». Quibus verbis clare liquet, iterum dico, Zacchiam exponere *tantum principium generale* pro validitate matrimonii. Quo exposito, *descendit ad casum particularem* sibi propositum, scilicet de impuberibus, *cui applicat dictum principium generale*, aiens: « Ubi ergo **ex coitu nulla est spes generationis,** ex eo quod *semina coniugum simul non concurrant nec uniantur*, **cum adhuc intra corpus non sint producta,** non *possunt vir et uxor effici una caro et sic non possunt matrimonium consummare* ». — Aliis verbis, ad hunc syllogismum reducitur ratiocinatio Zacchiae de matrimonio impuberum: Ad validitatem matrimonii requiritur, iuxta Gen., potentia generandi; atqui impuberes adhuc non habent hanc potentiam, quia nondum habent

[1] Nota: non dicit A., huius vel huius matrimonii, sed matrimonii in genere ac ideo cuiuslibet matrimonii.

elementa generationis formata in corpore; ergo nequeunt valide contrahere.

55. Idem principium Zacchia alibi exponit, dicens: « **Certum** autem **est coniuges fieri unam carnem, quod est de essentia matrimonii,** non per penetrationem vasorum, **sed per commixtionem seminum ex parte utriusque effusorum** »[1].

56. Qua fronte ergo P. Eschbach asserere potest Zacchiam non instituisse ratiocinium de aptitudine generandi requisita, *in genere,* pro valore matrimonii, sed de aptitudine tantum *ratione aetatis?* Ad hoc tuendum oportet noluisse intelligere locum citatum, qui nullam omnino praesefert ambiguitatem. Attamen adest ratio, qua P. Eschbach ita agit; ipse enim, per fas et nefas, acriter defendit mulierem excisam esse sterilem tantum, dum contra ex doctrina Zacchiae, quae est communis et certa, contrarium eruitur, scilicet eam esse omnino impotentem; nam si impuberes nequeunt valide contrahere, quia nondum sunt potentes ad generandum, *a fortiori* mulier castrata, quae est impotens ad generandum in perpetuum, arcenda est a matrimonio contrahendo.

57. Qui vero sit sensus viri et mulieris sterilis et sterilitatis, iuxta Zacchiam, supra iam vidimus.

58. His praemissis, sequitur P. Eschbach.

« In praesenti autem capite de impuberibus quaerit (Zacchia), utrum ad contrahendum sint admittendi atque ita sermocinatur:

« Licet possit dici valere impuberum matrimonium, quia, tametsi de praesenti non sint apti ad generandum, habent tamen proximam dispositionem ad aptitudinem; tamen conducibilius iudicaverim determinare, an ad matrimonii validitatem, praeter coeundi (absque seminatione) potentiam, requiratur etiam potentia generandi (h. e. in coitu seminandi); nam si requiratur, ut percurrit Sanchezius, de Matr. lib. II, disp. 21, n. 5, certe

[1] Zacchia, *Op. cit. Consilior.*, 72, n. 11.

non videretur tam libere decidendum, quod puer aut puella potens ad coeundum, (absque seminatione), possit contrahere matrimonium, quasi sola coeundi potentia sufficiat, cum tamen non possit puer aut puella, non apti ad generandum matrimonium consummare, si ad matrimonii consummationem requiritur copula apta ad generandum, (Sanchez, *ubi proxime*). Si ergo puer aut puella potens ad coeundum et non ad generandum (h. e. ad seminandum) non potest consummare matrimonium, frustra ad illud consummandum coniunguntur; idcirco enim requiritur in consummatione matrimonii etc. ».

Hic sequuntur verba ab arguente relata, quibus recitatis, rursus Zacchia:

« Ex quibus deducamus matrimonium inter coniuges, qui per teneriorem aetatem intra se adhuc semen non generant, non posse dici consummatum, quousque semen generent, nisi huic difficultati obstaret quod impotentia haec seminandi non naturalis, neque extra spem est, sed temporanea et facile, procedente aetate, superabilis. Haec ergo canonistis discutienda propono, nec quicquam determinare ambigo, sed ipsis omnia ex canonum decretis dissolvenda relinquo ».

Hisce omnibus insimul et in complexu inspectis, facile datur intelligi, ad hoc reduci integram Zacchiae disputationem, scilicet, ad consummanda matrimonia non sufficere simplicem coitum, sine seminatione, ex quo *per se* nulla est spes generationis, sed requiri copulam perfectam cum seminatione h. e. aptam *per se* et *suapte natura* ad generationem. Et haec utique doctrina, maxime post Sanchezium, facta est tum theologorum tum canonistarum communis (pag. 35-36).

59. Ad perfectam intelligentiam doctrinae Zacchiae integrum locum exponere iuvabit, in quo clarissime Zacchia indicat mulierem necessario debere concurrere cum proprio elemento generativo ad generationem, ut dici possit consummari matrimonium. Post verba, paulo superius allata, scilicet: « ubi ergo ex coitu nulla est spes generationis ex eo, quod semina coniugum simul non concurrant, neque uniantur, cum adhuc intra corpus non sint producta, non possunt vir et uxor effici una caro, et sic non possunt ma-

trimonium consummare », Zacchia ita prosequitur: « Ex quibus deducamus matrimonium inter coniuges, qui per teneriorem aetatem intra se adhuc semen non generant, non posse dici consummatum, quousque semen generent; nisi huic difficultati obstaret, quod impotentia haec seminandi non naturalis, neque extra spem est, sed temporanea et facile procedente aetate superabilis. Interim non valeret contra praedicta obiectio, quae fieri posset de matrimonio inter decrepitos, quia quandocumque decrepitus contrahit matrimonium non praesumitur potens ad generandum; nam quotiescumque decrepitus est potens ad coëundum, potest praesumi potens ad generandum, cum ex Aristotelis auctoritate et ex quotidiana experientia habemus, virum in quacumque aetate generare posse, dum possit coire et semen emittere; quae tamen limitatione indigent. *Nec quemquam deterreat id, quod dixi, nimirum tam in mare quam in femina requiri seminis intra se generationem, si ex eorum sequi debeat generatio;* si forte quis ex propria haeresi vel ex Aristotelis et sequacium auctoritate persuasus, ut Navarra... et plures Canonistarum, velint, semen femineum non concurrere ad generationem (nam sunt qui eam opinionem mordicus tuentur, praesertim ii, qui parum in medicina ac praesertim in re anatomica versati sunt; ne sensibus quidam acquiescentes) quoniam, dato etiam quod ullam veritatem eorum opinio haberet, nempe quod semen femineum non requiratur ad generationem (ut ex necessitate naturae est necessarium) necessarium esset, ut concurreret sanguine menstruo; at vero ante menstruorum productionem puellae ad coitum quidem aptae sunt, non ad generationem, cum ad coitum duodecimo anno et forte undecimo sint aptissimae, ad concipiendum autem nonnisi a decimo quinto ad quadragesimum... Quia non ante hoc tempus, ut plurimum, menstruantur, ut saepe alias dixi; *unde*

cum sponsi per copulam carnalem effici debeant una caro, ut matrimonium dicatur consummatum, **idque fiat concursu seminis ex parte utriusque,** aut, si mavis, ex concursu seminis virilis et sanguinis menstrui secundum horum opinionem, *iam patet non posse puellam antequam menstrua sit experta, neque item puer, antequam semen ferat, matrimonium consummare,* etiamsi coitu coniungantur; et sic, nisi quid, ut dixi, operetur proxima dispositio ad generandum ex utraque parte, non dicetur matrimonium unquam consummatum, nisi puer seminet, et puella aut seminet simul aut menstrua experiatur. Haec ergo canonistis discutienda propono, nec quidquam, nisi quod ex arte mihi certo innotescit, determinare ambigo, sed ipsis omnia ex canonum decretis dissolvenda relinquo » [1].

60. In hoc loco Zacchia iterum declarat necesse esse ad consummationem matrimonii, ex qua pendet eius valor, ut semina maris et feminae commisceantur vel commisceri possint ad generationem obtinendam seu, ut ipse ait, ad concipiendum fetum. Utrum vero impuberes, qui nondum apti sunt ad generandum, quique proxime tales redduntur ob aetatem procedentem, considerandi sint temporanee impotentes, ac ideo matrimonium contrahere possint, nihil affirmat, nilque negat Zacchia; immo ad canonistas remittit, qui iudicent iuxta decreta canonum. Canones vero decreverunt, uti superius vidimus, impuberes ineptos esse ad valide contrahendum; quia, ad valide contractum ineundum matrimonialem, ratione aetatis, duo requiruntur, scilicet, discretio seu iudicium ad talem consensum praebendum et capacitas generandi; utrumque ante pubertatem *ordinarie* desideratur; cum pubertate vero, seu 14° an. aet. in pueris et 12° in puellis, in qua aetate incipit aptitudo generandi, ius prae-

[1] Zacchia, *Op. cit.*, l. 9, tit. 3, q. 7, nn. 2-4.

sumit etiam iudicium maturum ad debitum consensum praestandum. *C. ubi non est 2, c. puberes 3, c. continebatur 6, c. attestationes 10, de desp. impub.* Dicitur *ordinarie,* nam si malitia suppleat aetatem *c. 10 De desp. impub. c. 9 eod.*, cfr. Ben. XIV, *Const. Magnae nobis,* scilicet si ante iuridicam aetatem « **adsit potentia generandi** *et sufficiens discretio ad se obligandum* », ut ait Sanchez, matrimonium initum valet. Et haec est solutio casus iuxta canones a Zacchia ad canonistas remissa.

61. Hisce omnibus expositis, dicendum doctrinam Zacchiae de consummatione matrimonii non reduci ad hoc, ut vult P. Eschbach, quod scilicet Zacchia requirat « copulam perfectam cum seminatione ex parte viri **tantum** h. e. aptam *per se et suapte natura* ad generationem », sed **explicite** Zacchia declarat quaenam sit huiusmodi copula apta per se ad generationem, scilicet ipse **requirit semen ex parte viri et item semen ex parte feminae,** quibus commixtis, concipiatur fetus; et haec copula tantum, iuxta Zacchiam et veritatem, consummat matrimonium et requiritur pro eius validitate. « *Ad matrimonii consummationem requiritur copula, ex qua sequi potest generatio;* » [1] et « *copula requiritur ad consummationem apta ad generandum* » [2], ait classicus Sanchez. Et haec Zacchiae et Sanchezii doctrina est communis et fuit semper, usque ad tempus P. Eschbach, qui contrarium tueri ausus fuit [3]. Huius doctrinae consectarium est, ut pluries iam diximus, mulierem excisam, quae in perpetuum incapax est *per se* et *absolute* ad generandum, non posse valide contrahere, quia non potest matrimonium consummare, cum haec potentia consummandi sit *de essentia* matrimonii.

[1] Sanchez, *Op. cit.*, l. 2, d. 21. n. 10-11.

[2] Idem, ibid., n. 5.

[3] Cfr., « *De Conceptu* » etc., c. II et III, et « *Pro Conceptu* » etc., c. I.

62. At P. Eschbach pergit:

« Ceterum protinus idem auctor (Zacchia) ita pergit:

« Quoad aetatem maiorem, respectu potentiae generandi, illud tantum repetere hic non desistam, eam impotentiam non solum praesumptive, sed omni procul dubio et absque ulla haesitantia, mulieribus advenire post menstruorum cessationem, per aetatem maiorem factam, quae plurimum quinto supra quadragesimum vel ad summum quinquagesimo anno eveniet, ita ut, cessantibus per aetatem maiorem menstruis, mulier *naturaliter concipere non possit, sed tantum ex miraculo*, ut de Sara et Elisabetha factum in sacris narratur ».

Steriles, a contrahendo matrimonio non arcendas, iterum iterumque vides Zacchiam habere mulieres, quas *non praesumptive solum sed omni procul dubio et absque haesitantia* ipse tenet ad generandum ita impotentes, ut absque miraculo concipere naturaliter minime possint. Et haec etiam est unanimis atque, uti ait Sanchezius, certissima scholae doctrina. « Sterilis, aiunt, quamvis generare *non possit*, sufficit quod possit matrimonium consummare, ut illud contrahere valeat, praecipue in feminis, in quacumque aetate, complexione et dispositione sint, *modo possint ingressum viri pati ad claustra pudoris* ». (Salmant.).

Neque reponas interdum « ovula in feminis perdurare usque ad provectam aetatem, quin ullum praefiniri possit tempus, quo penitus vis illa extinguatur, licet senectute imminuatur »; nam sic arguendo extra campum divagaris. Sane argumentum ad quod respondemus, de principiis et doctrinis est veterum. Porro si rationem ab iis expostules, quare teneant vetulas a contrahendo non prohiberi, uno ore te docere invenies, id non quidem ob incertitudinem fieri extinctae prolificandi virtutis, sed quia etiam « ubi est *certa impossibilitas ad bonum prolis* matrimonium est in remedium non in officium »; — quia « quamvis non sit ibi bonum prolis, possunt esse alia bona »; — quia « etsi matrimonium frustretur fine primario qui est generatio, consequitur tamen finem secundarium »; — quia « non obstat quod in sterilibus natura frustretur fine primario matrimonii, cum ex eorum copula non sequatur generatio prolis vel *speretur secutura;* sufficit enim quod obtineat finem secundarium » (pag. 36-37).

63. Ad quae noto: in primis oportet *integrum* locum Zacchiae referre de hac quaestione. « Quoad aetatem maiorem, ait Zacchia, respectu potentiae generandi, omissis miraculosis quibusdam enarrationibus, quibus nonnulli mirum in modum capiuntur, et inviolabilem fidem habent, firmis remanentibus iis omnibus, quae alias in medium adduxi, quoad mulieres illud tantum repetere non desistam, eam impotentiam non solum praesumptive, sed omni procul dubio et absque ulla haesitantia illis advenire post menstruorum cessationem per aetatem maiorem factam, quae plurimum quinto supra quadragesimum vel ad summum quinquagesimo anno evenit, ita ut, cessantibus per aetatem maiorem menstruis, mulier naturaliter concipere non possit, sed tantum ex miraculo, ut de Sara et Elisabetha factum in Sacris enarratur. *Quod si aliquae etiam in quinquagesimo et ultra conceperint, oportuit illas etiam tunc temporis menstrua pati,* si secundum naturae ordinem id actum est, *nam in aliquibus menstrua ultra quinquagesimum prorogari constat et* **annosiores** *matronas menstruari et concipere, ego quoque observavi* » (l. cit. n. 5).

64. Hisce verbis Zacchia docet: 1° potentiam generandi in muliere cessare, cessantibus menstruis, quod, iuxta ipsum, fit aet. 45-50 an.; 2° cessatis menstruis, mulieres non posse concipere, nisi per miraculum; 3° tamen constare aliquas etiam extra hoc tempus et **annosiores** matronas menstruatas fuisse et concepisse.

65. Quoad haec notandum: ad 1m: 1° etiam absque menstruis possibilem esse conceptionem, ut plurima facta certa testantur; 2° tempus cessationis menstruorum sat variabile esse et protractum fuisse etiam usque ad 106 aet. an. *certo* scimus, de quo tamen inferius; *ordinarie* vero circiter illud tempus et serius cessare. — Ad 2m Cessatis menstruis, 1° non sequitur necessario cessare potentiam generandi, quia certum

est menstrua cessata posse, ob plurimas causas, iterum reapparere, quod indicat novam capacitatem generandi, uti plura facta testantur [1]; 2° non sequitur item absque menstruis impossibilem esse conceptionem; 3° De factis Sarae et Elisabethae iam dixi in « *Pro Conceptu* » etc. n. 27. Quibus rationibus addi potest, quod si mulier *sterilis* per preces obtinet a Deo remotionem causae sterilitatis et generationem prolis, hoc « non tamquam miracula sed tamquam beneficia » [2] habendum est, ut bene notat Amort. — Quoad 3m inferius habebis.

66. Quod vero *steriles* non sint arcendi a matrimonio, doctrina certissima est. At sterilis idem est ac impotens? Carentia generationis *per accidens* et *per se* idem est? Iam pluries vidimus, ex doctrina communi omnium Aa., in conceptu sterilitatis includi necessario capacitatem generandi, quae in actum aliquando non reducitur tantum ob particularia aliqua accidentia, quae saepe etiam removeri possunt; et historia sacra et profana innumera exempla sterilium nobis praebet, qui, multos post annos sterilitatis, de facto genuerunt prolem. Si *bonum prolis* est unum ex tribus bonis *essentialibus* matrimonii, in sterilibus, qui valide contrahunt, illud supponendum est saltem possibile; nam si sterilitas idem esset ac impotentia perpetua et irremediabilis prolem gignendi, Ecclesia matrimonium iis prohibuisset, sicut prohibet eunuchis, cum potentia generandi sit *de essentia* Sacramenti matrimonii, quam Ecclesia ipsa immutare non potest. Et mulier, quae non generat ob pravam situationem uteri, ob parvum huius ostium, ob aciditatem mucus vaginalis et similes causas, comparanda-ne erit cum impotente ad generandum, quae scilicet careat perfecte ovariis et utero vel utriusque simul? Hoc est discrimen inter utrum-

[1] Cfr., « *De Conceptu* » etc., n. 103.
[2] Amort, *Op. cit.*, q. 114.

que casum; in primo defectus removeri facile in praesenti potest, in altero in perpetuum est absque remedio; in primo generatio abest tantum *per accidens*, in altero *per se*; in primo Ecclesia concedit matrimonium, in altero omnino prohibet. Et iterum dico hanc differentiam absentiae generationis *per se* et *per accidens* esse maximi momenti; qua neglecta, innumeri sequuntur errores et plurima matrimonia invalida. De hoc necessario discrimine P. Eschbach nihil audire vult et obstinate semper pergit confundere sterilitatem cum impotentia.

67. Et quia P. Eschbach agit quaestionem, ut ipse dicit, « *de principiis et doctrinis veterum* », quibus frustra conatur suam sententiam fulcire, ad vera et certa principia, quae semper curavimus rite statuere et tenere in nostris studiis de hac quaestione, libenter et iterum confugimus. Sciat itaque P. Eschbach:

1° Certum esse Deum creasse diversitatem sexus in homine et instituisse matrimonium primitivum *tantum ad propagationem prolis*, iuxta Gen. I, 27-28 « *masculum et feminam creavit eos* (Deus); *benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram;* » et Gen. II, 24 « *quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* ».

2° Certum esse, post peccatum, ob fomitem concupiscentiae, quae facta est *medium* ad propagationem, Deum non istituisse novum matrimonium, sed voluisse ut homo haberet sedationem concupiscentiae per illud ipsum primitivum matrimonium, quod erat tantum in officium naturae, et non per aliud; ac ideo sedationem libidinis *accidentaliter* se habere respectu matrimonii, h. e. tantum *accessorie*.

3° Certum esse *tria tantum bona*, et haec quidem *essentialia* habere matrimonium, iuxta Syn. Florent. sub Eu-

genio IV: « Assignatur autem triplex bonum matrimonii. *Primum est proles suscipienda* et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae ». Cui doctrinae certae respondet totum agmen DD. ecclesiasticorum omnium temporum; sufficiat sequentes audire:

« Haec bona *tantum* **pertinent ad eius essentiam** *quoad obligationem*, non vero quoad executionem » [1].

« Haec autem bona, pergit Sanchez, non adveniunt matrimonio ab extrinseco, sed **sunt de matrimonii ratione,** quae non indiget iis, quasi quibusdam extrinsecis ad illum honestandum; sed quasi causantibus in ipso intrinsecam honestatem; nam **bonum prolis** *et fidei*, id est *ut ordinetur ad prolem et mutuam fidem servandam, sitque vinculum indissolubile,* **ex sua natura habet,** et *ut sit Sacramentum,* habet in quantum est elevatum a Christo ad hoc » [2]. Qua re sequitur, ut docet ipse Sanchez, *bonum fidei et prolis* adfuisse etiam in matrimonio in statu innocentiae et in coniugio B. M. Virginis, non quatenus bona excusantia seu illud cohonestantia, sed **quatenus matrimonio ipsi intrinseca** [3].

« Haec tria bona coniugio sunt *substantialia, non accidentalia* » [4].

S. Thomas docet haec tria bona esse de *ratione matrimonii* [5]. Et: « Matrimonium est in officium naturae et est Sacramentum Ecclesiae. In quantum ergo est in officium naturae duobus ordinatur, sicut et quilibet alius virtutis actus; quorum unus exigitur ex parte ipsius agentis, h. e. *intentio finis debiti* et sic ponitur *bonum matrimonii proles;* aliud

[1] Sanchez, *Op. cit.*, l. 5, d. 9, n. 6.
[2] Idem, l. 2, d. 29, n. 5.
[3] Idem, ibid., n. 7.
[4] Ioannes de Friburgo, *Summa Confess.*, De Matrim., tit. 2, l. 4, q. 53.
[5] S. Thomas, Suppl., q. 49, n. 1 ad 2.

exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere ex hoc quod cadit super debitam materiam; et sic est *fides*, per quam homo ad suam accedit et non ad aliam. Sed ulterius habet aliquam *bonitatem* in quantum est Sacramentum; et hoc significatur ipso nomine *Sacramenti* » [1].

S. Bonaventura, expositis causis seu rationibus trium bonorum matrimonii, ita pergit: « Ex his patet obiecta, quia connumerantur non quaecumque bona, sed quae communia sunt statui naturae corruptae; ideo nec pax, nec obsequium, *nec bonum, quod accipitur in quantum est remedium,* inter haec bona connumerantur, **sed haec tria bona solum** » [2].

« Tria sunt matrimonii bona, *proles, fides, sacramentum,* per quae matrimonium ipsum excusari dicitur » [3].

« *Essentialia bona* sunt quae pertinent ad ipsam *essentiam* matrimonii, ita ut *sine ipsis matrimonium haberi non possit* » [4].

4° Certum esse ex iure pontificio conditionem appositam in matrimonio contrahendo *contrariam substantiae ipsius matrimonii*, ex. gr. *vitationem prolis,* reddere matrimonium nullum [5].

5° Certum esse, ex Const. Sixti V « *Cum frequenter* » [6], eunuchos, orbatos utroque testiculo, inhabiles esse ad contrahendum, quia carent semine « *ad generationem et matrimonii causam apto* », ac ideo eorum matrimonia contraria esse *bono prolis,* quod bonum est *de essentia* matrimonii.

[1] Idem, dist. 31, q. 1. a. II solut.
[2] S. Bonaventura, l. 4, d. 31, q. 2, resolv.
[3] Estius, IV Sentent., d. 31, §. 1.
[4] Bucceroni, in meo opusc. « *Pro Conceptu* » etc. n. 45 in casu ab ipso resoluto apud S. Apollinarem, maximi momenti, et in eius *Op. cit.*, vol. 2, n. 959.
[5] Decretal. l. IV, *De condit. appos.*, c. VII.
[6] Cfr., hanc Constit. in « *Pro Conceptu* » etc., nn. 63-66 et inferius.

6° Certum esse eosdem eunuchos, qui, ut dicitur in eadem Constit., carnaliter coniungebantur cum mulieribus, ne finem quidem sedandi concupiscentiae posse assequi, qui hic finis haberi tantum potest per copulam, ex qua vere sequi possit generatio; hac ratione excluduntur etiam ab aliis finibus, qui in matrimonium considerari possunt.

7° Certum esse hos eunuchos laborare impedimento *impotentiae*, quae consistit in perpetua et irremediabili incapacitate ad generandum, cum capacitas generandi sit *de essentia matrimonii.*

8° Certum esse ad consummationem matrimonii requiri potentiam generandi, seu copulam, ex qua sequi possit generatio; per hanc consummationem, et ex qua oritur indissolubilitas matrimonii, coniuges fiunt una caro. « Ad *matrimonii consummationem requiritur copula,* **ex qua sequi potest generatio** »[1], et « *copula requiritur ad consummationem* **apta ad generandum** »[2], ait classicus Sanchez.

« Requiritur in consummatione matrimonii **potentia ad generationem, quia per generationem,** *quae ex miscela utriusque seminis in unum succedit,* **vir et uxor efficiuntur una caro,** iuxta illud Gen. II, 24 », ait doctissimus Zacchia[3].

« Vir et mulier efficiuntur *in carnali copula una caro* **per commixtionem seminum** » docet S. Thomas[4].

« *Certum est, in quo omnes doctores conveniunt,* per nullam copulam matrimonium vere consummari... nisi ipsam ita (coniuges) habeant, ut **possit ex ea sequi legitima generatio;** omnis enim talis sufficit, *quia per hanc* **solam** *coniuges fiunt una caro,* » docet classicus Perez[5].

[1] Sanchez, *Op. cit.,* l. 2, d. 21, n. 10-11.
[2] Idem. ibid., n. 5.
[3] Zacchia, *Op. cit.,* l. 9. tit. 3, q. 7, n. 3.
[4] S. Thomas, In IV, d. 41, q. 1, a. 1, quaestiunc. IV.
[5] Perez, *De Matrim.,* d. 20, sect. VI, n. 1.

Requiritur « ad consummationem matrimonii *copula apta ad procreationem* »[1], et « *nisi feminae seminatio cum seminatione viri intra vas femineum coniungatur, non consummatur matrimonium* »[2], docent Salmanticenses. — Et haec doctrina est communis totius scholae catholicae omnium saeculorum[3].

9) Certum esse, ex dictis, potentiam consummandi matrimonium requiri *de essentia matrimonii, ut scilicet hoc valide contrahatur,* minime vero requiri actum copulae ipsius coniugalis.

« Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est *de eius essentia,* quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae », docet S. Thomas[4]. Quae verba declarans Haine dicit: « Quamvis enim ad matrimonii essentiam minime pertineat, ut illud consummetur, potentia tamen ad eius consummationem, seu *ad copulam generationi aptam, ita necessario requiritur, ut sine ea matrimonium consistere nequeat* »[5].

« *Substantia matrimonii consistit* in consensu ad societatem coniugalem, sub quo tacite includitur ad perpetuam societatem, ad fidem sibi mutue servandam, *prolemque suscipiendam,* quae sunt *tria bona matrimonii* »[6], Sanchez.

« Certum autem est coniuges fieri unam carnem, *quod est de essentia matrimonii,* non per penetrationem vasorum,

[1] SALMANTICENS., *Op. cit.*, c. 4, punct. 1, n. 6.

[2] Idem, ibid., n. 5.

[3] Quoad ceteros Aa. quos hic, brevitatis gratia, omittimus, cfr. « *De Conceptu* » etc., nn. 19-59.

[4] S. THOMAS, Suppl., q. 58, a. 1 ad I.

[5] HAINE, *Theol. mor. elem. ex S. Thoma,* 1899, edit. 4, tom. 4, c. 8, n. 41, ad 3.

[6] SANCHEZ, *Op. cit.*, l. 5, d. 9, n. 3.

sed *per commixtionem seminum ex parte utriusque effusorum* » [1], Zacchia.

Essentia matrimonii consistit in mutua traditione corporum, quantum ad usum coniugalem *necessarium fecundationi uxoris* » [2], Billuart.

« Matrimonium *consistit* in mutua traditione **corporum physice aptorum ad generationem**, sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem [3], S. Alfonsus.

Quae doctrina de necessitate copulae aptae ad generandum pro valore matrimonii clare affirmatur in Const. Sixti V contra eunuchos; nam matrimonia eunuchorum non valent ob impotentiam generandi perpetuam [4].

10) Certum esse, ex iure naturae et ecclesiastico, inhabilitatem generandi perpetuam, irremediabilem, antecedentem matrimonio, hoc impedire et contractum dirimere; item certum esse omnes Aa. distinguere optime carentiam generationis, quae fit *per se* et quae *per accidens;* prima, si dictas conditiones prae se ferat, *impotentiam* constituit, altera vero simplicem *sterilitatem;* prima matrimonium prohibet vel dirimit, altera consistere potest cum matrimonio.

« Matrimonii contractus *essentialiter* consistit in mutua obligatione ad copulam perfectam suapte natura aptam ad prolis generationem: nec refert si **accidentaliter** nequeat sequi proles, ut in sterilibus constat » [5], Sanchez.

« Actus ille est contra naturam in *genere luxuriae*.

[1] Zacchia, *Op. cit.*, *Consilior.* 72, n. 11.

[2] Billuart. *Summa S. Thomae*, Edit. nova, Parisiis 1895. vol. X. pag. 155.

[3] S. Alfonsus. *Theol. mor.*, *De Matrim.*, n. 1095. — Ceteros Aa. vide in « *De Conceptu* » etc., nn. 62-77.

[4] Cfr. « *Pro Conceptu* » etc., nn. 63-66, et « *De Conceptu* » etc., n. 8, et inferius.

[5] Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 92, n. 28.

ex quo non potest sequi generatio secundum communem speciem actus; non autem ille, ex quo non potest sequi *propter* **aliquod particulare accidens,** sicut est senectus vel infirmitas » [1], S. Thomas.

« Contra bonum hominis est *omnis emissio seminis tali modo, quod generatio sequi non possit*... Dico autem modum, ex quo generatio *sequi non potest* **secundum se,** sicut omnis emissio seminis sine *naturali commixtione maris et feminae;* propter quod huiusmodi peccata contra naturam dicuntur. Si autem **per accidens** generatio ex emissione seminis sequi non possit, non propter hoc est contra naturam, nec peccatum, sicut si contingat mulierem *sterilem* esse » [2]. S. Thomas.

« Cum *finis primarius* matrimonii sit **prolis generatio,** et haec nonnisi *per copulam carnalem naturali modo obtineri possit, plane vir et femina,* qui matrimonio sunt iungendi, ad **huiusmodi copulam habiles esse debent;** quare **impotentia et inhabilitas ad exercendam copulam carnalem, ad humanam generationem necessariam, maxime matrimonium impedit,** et est impedimentum dirimens, sive *hoc se teneat ex parte viri* sive **ex parte mulieris** » [3]. Mastrius de Meldula.

« Impotentia coeundi (scilicet vera impotentia, quae est impedimentum dirimens) differt ab impotentia generandi; nam prior est inhabilitas ad commixtionem maris et feminae, per quam efficiuntur una caro, seu est inhabilitas ad *copulam carnalem perfectam*...; posterior (alio nomine **sterilitas**) est inhabilitas ad **actualem** *generationem prolis,* etiam praesupposita copula carnali perfecta, seu com-

[1] S. Thomas, QQ. DD. *De malo,* q. 15, a. 2, ad 14.
[2] Idem, *Contra Gent.*, l. 3, c. 122.
[3] Mastrius de Meldula, *Theol. mor.*, De Matrim., d. 20, a. 4, n. 114.

mixtione maris et feminae, prout contingit *in senibus et sterilibus*, sive ex natura sive ex accidente steriles sint ».

« Intelligitur *copula perfecta*, seu *de se sufficiens ad generationem prolis* » [1]. Pichler.

« Ab impotentia presse sumpta, ut impedimentum constituit, distinguitur mera sterilitas. Sterilitas enim, ut distinguitur ab impotentia, *supponit possibilitatem copulae, ex se ad generationem aptae perficiendae;* **at proles non generatur, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris aliquid obstat,** *quominus semen virile ovum maternum contingat atque fecundet* » [2]. Lehmkuhl.

« Impotentia, de qua hic loquimur, est illa, propter quam coniuges non possunt copulam habere *per se* aptam ad generationem; unde sicut validum est matrimonium inter eos, qui possunt copulari, *etsi* **per accidens** *nequeant generare,* puta quia *steriles* aut *senes*... ita nullum est matrimonium inter eos, qui nequeant *consummare eo actu,* **quo ex se esset possibilis generatio** » [3]. S. Alfonsus.

68. **His principiis et doctrina veterum** expositis, quae naturalis et ecclesiastici iuris doctrinam affirmant et explanant, facile evincitur mulierem excisam babendam esse vere impotentem, sicut eunuchus, quia ad valorem matrimonii requiritur, in utroque contrahente, aptitudo ad generandum, quam ipsa mulier amplius non habet et quidem irremediabiliter et in perpetuum; et, cum ex huiusmodi muliere numquam generatio sequi possit, et quidem *per se,* non vero *per accidens,* copula, cum ipsa habita, esset contra naturam: ipsa igitur est omnino aequiparanda eunucho. — Auctores vero, quos P. Eschbach affert, nempe Mastrius de

[1] Pichler, *Op. cit.*, tit. XIII, § 2, n. 18.

[2] Lehmkuhl, *Theol. mor.*, edit. 10. vol. II, n. 743, ad 2.

[3] S. Alfonsus, *Op. cit.*, n. 1095. Ceteros Aa. cfr. in « *De Conceptu* », nn. 91-96, et in « *Pro Conceptu* », nn. 29-33.

Meldula, S. Bonaventura, Sanchez et Schmalzgrüber, loquuntur tantum de sterilibus, in quibus defectus generationis est tantum *per accidens*, et de quibus iam locuti sumus [1].

69. Etsi ex omnibus hucusque dictis et in duobus meis opusculis, causa, a P. Eschbach sustinenda suscepta, deplorata omnino evadat, tamen ipse prosequitur. Scribit enim statim post praecedentia:

« Isthaec cum ita sint, iam in plano apparet ad id responsio, quod in ultimo posuit adversarius, scilicet retinendum esse ad instar scholasticorum principii, matrimonia nonnisi per seminum commixtionem seu per virilis seminis et ovuli unionem consummari, correcto eorumdem errore, cum falso putarent semen femineum esse humorem, quem sub venerei aestus influxu mulieres copulantes consueto effundunt.

Et re quidem vera, in doctrinis scholae eas potiorem locum obtinere, quas ipsa Ecclesia semper tenuit et tenet, neminem latet, secundarium, quas ad istas illustrandas magistri, decursu temporum, introduxere. Porro in priorum censu habenda utique duo haec sunt.

a) Carnali semel habita copula cum seminatione viri intra vas debitum, omne matrimonium consummatum est eique applicanda divina lex: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

b) Certo et ex toto steriles, ad copulam tamen perfectam habiles a matrimonio contrahendo non prohibentur. « Antiquitus, ait Zacchia, matrimonium ob sterilitatem dissolvebatur, sed cum in sanctissima christiana religione matrimonium non unum solummodo bonum habet, sed quamplura, sterilitas non est sufficiens causa dissolutionis eius ».

Verum quod matrimonii consummatio per commixtionem *seminum* fiat, id theologi atque canonistae non ab Ecclesia sed a medicis Hippocratis discipulis acceperunt, qui in magistro atque in sua arte nimis fidentes, quam feminae intra copulam sub venereo influxu effusionem patiuntur, veri generationis esse seminis docebant, dum Pontifices in iure condendo constanter et vigilanter generaliori formula, coniuges unam carnem fieri per *commixtionem sanguinis*, usi sint. Cum autem vox sanguis, teste

[1] Cfr. « *Pro Conceptu* », nn. 29-32, et 51-52.

S. Bonaventura, generica significatione pro quocumque corporis humore, qui « a sanguine originem ducit », assumebatur, restat ut dicamus non Ecclesiam sed medicos atque scholasticos, hic errasse. Quo errore utique correcto, atque retentis veris scholae principiis, dicendum est, prout supra iam diximus, coniuges minime tunc actu consummare suum matrimonium, cum obtinuerit prima seminum, scilicet virilis spermatis atque feminei ovuli commixtio, sed cum intra carnalem copulam semen viri in vase debito accipitur unde propriis feminae humoribus miscetur. Et doctrina haec est certissima (pag. 38-39).

70. Audisti, benigne lector? Quid tibi videtur de condemnatione, quam P. Eschbach infert in omnes theologos et canonistas, qui omni cura et studio, per tot saecula, naturale et canonicum ius interpretati sunt? Omnes errarunt, exceptis ipso P. Eschbach et S. Bonaventura! Sed pacifice procedamus.

71. Quid sentiendum sit de hac doctrina, iam luculenter ex praecedentibus eruitur. RR. Pontifices in declaranda natura et vi τοῦ *fieri unam carnem*, ex qua indissolubilitas matrimonii, non semper usi sunt verbis « *commixtio sanguinis* », quae sunt in can. *Lex divina,* Papae Benedicti; sed fere semper usi sunt indiscriminatim aliis verbis, quorum sensus notus iam erat in Ecclesia et apud fideles, qualia sunt « *carnaliter cognoscere uxorem, carnaliter commisceri* » et similia, quae omnino aequivalent verbo « *cognoscere* » Scripturarum; quod verbum semper indicat copulam cum fecundatione seu prole, vel capacitatem generandi, ut alibi [1] et supra probavi; hunc sensum retinent etiam verba « *commixtio sanguinis* », cum notum sit affinitatem, de qua dictus canon loquitur, non contrahi, « *nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio* », ut cum Pichler [2] *omnes* docuerunt semper et docent. Sed di-

[1] Cfr. « *De Conceptu* », nn. 11-14, et « *Pro Conceptu* », n. 10.
[2] Pichler, *Op. cit.*, ibid.

cendum theologos et canonistas in interpretando iure sese bene egisse; nam in omnibus quaestionibus, quae referuntur ad impotentiam, affinitatem, consummationem matrimonii et huiusmodi, ipsi semper perfecte distinxerunt quaestionem de *principiis*, quae sunt immutabilia, a quaestionibus de *applicatione* dictorum principiorum rebus seu factis physiologicis; ipsi omnes absolute docent, duce iure naturali et pontificio, ut consummetur matrimonium, ut contrahatur affinitas, ut non adsit impotentia etc., necessariam esse copulam, ex qua sequi possit generatio; hoc est *principium immutabile*. Quando vero copula possit dici apta ad generandum vel non, finis est physiologiae et anathomiae; et cum hae scientiae sint scientiae observationis et experientiae, nonnisi progressu temporis talem quaestionem omnino solverunt; theologi vero et canonistae studuerunt dictam quaestionem, iuxta scientiam temporis, quo vixerunt, declarare, cum non potuerint scientiam nostri aevi praecurrere. Qua re patet theologos et canonistas errasse nonnisi in applicatione principiorum immutabilium factis tunc temporis ignotis aut male notis. Et theologi et canonistae, qui admittebant *aliquid* praestandum esse *necessario* a femina ad generationem, hoc *aliquid*, analogice ad semen viri, appellabant *semen* mulieris, quod, honestiori verbo, Papa Benedictus vocavit *sanguinem*. Et cum, in hac materia, agatur *semper* **de possibilitate verae generationis,** ut iam probavi [1], restat dicendum *semen* mulieris esse, quod a natura requiritur ad concipiendum fetum. Et hoc quidem sensu omnes loquuntur theologi et canonistae.

72. Sed, quibus rationibus P. Eschbach probat nomine seminis intelligendum esse humorem illum, quem *ordinarie* in aestu venereo plerumque feminae emittunt, ac proinde

[1] Cfr., « *De Conceptu* » etc., nn. 15-18 et ss; nn. 26-31, nn. 58-59. — « *Pro Conceptu* » etc., nn. 8 (3°), 9.

theologos et canonistas simul errasse? Hac tantum ratione, quia, iuxta S. Bonaventuram, nomine sanguinis intelligitur quilibet corporis humor, quia « *a sanguinem originem ducit* ». At noto: S. Doctor est-ne Summus Pontifex, qui *ex cathedra* locutus est? Potest-ne eius auctoritas auctoritatem totius scholae catholicae infirmare, et efficere ut ipse solum veritatem dicat, ceterosque omnes, qui post S. D. venerunt eiusque opera perlegerunt, errasse? Sed neque hoc dicendum. Quo loco S. D. haec verba dicat et quo sensu, nescio, cum non potuerim dicta verba in eius operibus invenire; quod quidem non efficit ut vere absint. At scimus S. Bonaventuram, loquendo de affinitate, ad quam requiritur copula, ex qua sequi possit generatio, clare docere: « Affinitas generaliter contrahitur per omnem coitum, in quo est *commixtio* **seminum.** Et ratio huius est, quia affinitas non contrahitur, nisi ratione unionis; tunc autem dicuntur *una caro fieri, quum per commixtionem* **seminum** fit consummatio illius operis » [1]. Quae verba penitus destruunt doctrinam P. Eschbach. — Dein, si nomine seminis deberet intelligi quilibet humor, quia a sanguine ortum ducit, cum omnes et singuli humores a sanguine ortum ducant, omnis humor esset semen, ac ideo quilibet humor consummaret matrimonium. Nil hoc absurdius cogitari potest.

73. Sed **falsissimum** est, nomine *sanguinis*, quo theologi et canonistae intelligunt *semen* necessarium ad generationem, intelligendum esse *quemlibet* humorem corporis. Nam: 1° hic *sanguis* indicatur in iure ad significandum quid sit « *fieri unam carnem* » iuxta Scripturas; fieri unam carnem occurrit in S. Scripturis in institutione matrimonii, quando scilicet matrimonium institutum fuit *tantum* ad generationem; ac proinde debet intelligi de requisitis ad generationem

[1] S. Bonaventura, l. 4 Sent., d. 41, q. 1, *resp.*

ex parte maris et feminae; 2° Si *sanguis* hic esset quilibet humor corporis, eunuchi, qui in coitu necessarie emittunt humorem uretralem et prostaticum, qui a sanguine oriuntur, possent consummare ac ideo valide contrahere matrimonium, cum ita possint fieri una caro; at Sixtus V declaravit non posse eos contrahere, quia, etsi dictum humorem emittant, tamen hic humor « *ad generationem* et causam matrimonii minime aptus » est, dum contra, ad generationem et causam matrimonii semen fecundum est aptum; a *pari*, in femina non sufficit ad consummationem humor quilibet, sed necessarium est id, quod ab ipsa a natura requiritur ad generationem; 3° Incomprehensibile esset, si theologi et canonistae per tot saecula in tanti momenti quaestione simul errarunt, Ecclesiam *semper* siluisse, immo implicite permisisse, ut tantus error late diffunderetur; 4° Si *sanguis* esset quilibet humor corporis, feminae, quae in coitu nullum humorem emittunt, non consummarent, et proinde matrimonium esset solubile, habita etiam pluries copula; sunt enim multae frigidae et velut insensibiles mulieres, quae nullum humorem emittunt in copula; et certum est, habita copula perfecta, matrimonium evadere consummatum, dummodo certum non sit mulierem esse in perpetuum et absque remedio incapacem ad generandum. — Cum ergo res ita sint, et diu in opusculis citatis et hic probavimus fieri unam carnem consistere in praestandis ab utroque coniuge in copula elementa necessaria ad concipiendum fetum, patet sententiam P. Eschbach **falsissimam** esse.

74. Immo, aliquid aliud addam. Cum ipse velit, omni conatu, propriam sententiam ut veram praebere contra *evidentem* veritatem, cogitur etiam in falsis non semper sibi ipsi cohaerere, et, nova argumenta quaerendo ad illam fulciendam, in contraditiones incidere. Nam in suo opere « *Disputationes* » etc., quod refutavimus in opusc. « *Pro Conceptu* » etc.,

in quantum refertur ad praesentem quaestionem, ipse tenet, facta immissione seminis virilis in vaginam, « mulierem semen virile per absorptionem ordinariam *suum* facere, et sic carnem unius coniugis fieri carnem alterius » (pag. 135 et seq.); et hoc est, iuxta ipsum, fieri unam carnem; paulo superius eadem verba « fieri unam carnem » vidimus ipsum intelligere de commixtione sanguinis, « quae intra copulam in femineo vase contingit »; deinde statim, post hanc assertionem, cum Tostato innuit coniuges ipsos esse unam carnem, intelligendo dicta verba sensu morali seu civili; heic vero docet fieri unam carnem consistere in commixtione seminis virilis cum humoribus genitalibus feminae. Et has maxime inter se repugnantes doctrinas audet dicere *certissimas!!*... Oh admirabilem confusionem!

75. Tamen P. Eschbach pergit in huiusmodi ratiocinandi modis et scribit:

Sed certissimum etiam est tali copulae, matrimonium consummanti, non obstare vel etiam perpetuam et absolutam ex parte feminae prolem concipiendi physicam impotentiam.

Sane in feminis « conceptionem impediri facile posse ex mille causis », cum Zacchia docent medici omnes. Harum autem una est, quam natura ipsa introducit, nempe ovariorum atrophia. « *Nella vecchiaia inoltrata è sterile la donna; giacchè allora le sue ovaie sono destitute di ogni funzione* ». Ita, nemine contradicente, cl. Lapponi. Et tamen vetulis nec in ipsa senecta extrema vetatur inire coniugium.

Hic occurrit adversarius sic scribens: « In vetulis feminis, quae nequeant generare, hoc fit per accidens, cum noscantur plura exempla vetularum quae conceperunt et usque ad 104 aetatis annum, menstrua regularia passae sunt ».

Aliis verbis: « Lex communis est ut vetulis etiam centenariis generandi sit facultas: quare si dentur, quae iam generare nequeant, hoc erit exceptio et fit per accidens ». Utrum unquam quid simile fuerit ab aliquo prolatum, nescio (pag. 39-40).

Deinde affert nonnulla loca doctoris Brouardel, quae

indicant 1° cessationem fluxus menstrui fieri circit. 50^m annum; 2° dubium de necessitate essentialis nexus inter menstrua et ovulationem, quod dubium ipse P. Eschbach probat; 3° feminas nonnullas concepisse absque fluxu. Quibus locis allatis, scribit contra me:

« Quod adversarius de vetulis ait « quae conceperunt et usque ad 104 aetatis annum menstrua regularia passae sunt », id *proprio marte* scripsisse puto, *cum nemo sit inter scientiae physiologicae cultores qui talia ipsum docuerit*. Sane vetulas dari, quae usque ad 104 aetatis annum concepissent, inter fabulas absque dubio amandandum est. Sed neque ullus auctor, quoad sciam, invenitur, qui testatus sit vetulam se vidisse ad dictum aetatis annum « menstrua regularia » passam » (pag. 41-42).

Et paucis aliis relatis, quae parum intersunt, concludit:

« Haec autem omnia ad abundantiam iuris dicta sint; nam prout scitum est, vetulis Ecclesia non ea de ratione concessit matrimonium, quia forsitan non adhuc extincta ipsis est generandi facultas, sed quia ab eis ad contrahendum aliud quid non requiritur, nisi ut a viro possint cognosci. Quare, etiamsi certo certius post medicorum, v. g. instaurata laparatomia, explorationem, constaret Caiam vetulam plane atropha imo et extincta habere ovaria ab ineundo coniugio, si ipsi placuerit, non foret arcenda » (pag. 42-43).

76. Ad quae noto: 1° *falsissimum* esse, ex praecedentibus, non obstare consummationi matrimonii etiam perpetuam et absolutam, ex parte feminae, prolem concipiendi physicam impotentiam; nam supra et in meis opusc. passim probavi *de essentia* matrimonii, seu ad eius valorem, requiri capacitatem generandi, quam mulier excisa amplius non habet, sicut eunuchus. Talis contractus matrimonialis obstaret *bono prolis*, quod est unum ex tribus bonis *essentialibus* matrimonii. — 2° Certum esse in feminis generationem impediri posse ex pluribus causis; at distinguendae sunt hae causae prout impediunt generationem *per se, absolute, in perpetuum*

et sunt absque remedio, et prout impediunt prolem nonnisi *per accidens;* illae constituunt impedimentum *impotentiae,* hae inducunt tantum *sterilitatem;* quod ex dictis clare patet. — 3° In protracta senectute mulierem fieri sterilem, quia habet ovaria absque functione, ait doctor Lapponi; at hic quaestio est non generalis et abstracta, sed particularis, quae scilicet refertur ad singulos casus; et reducitur ad hoc: in hoc et hoc casu vetulae, ovaria iam amiserunt *definitive* propriam functionem, vel, etiam semel amissa, potest-ne fieri ut, ob aliquam causam, novam vitalitatem cum ovulatione et fluxu acquirant, sicuti complurima exempla testantur? Haec certitudo haberi non potest, nisi per operationem ablationis ovariorum et uteri; quare, cum praesumptio sit ex parte mulieris, ad matrimonium ius ipsa retinet. — 4° Quoad spectat cessationem menstruorum, eorum reapparitionem, relationes cum ovulatione et eorum cessationem definitivam, iam alias locutus sum [1] et nonnulla inferius habebis..

77. Vehementer vero miror P. Eschbach asserere posse *meo marte* me scripsisse menstruationem perseverasse usque ad 101 aet. annum et nullum esse scientiae physiologicae cultorem, qui testatus sit se vidisse « menstrua regularia » usque ad dictum annum. At, si P. Eschbach nonnulla de re physiologica ignorat, ius minime ipse habet dedecus ignorantiae et falsae inventionis infligendi in eum, qui scit quod scribit, et nihil asserit, nisi probationibus et auctoritatibus relativis adiectis. Et re quidem vera, in dubio an potuerim haec asserere *meo marte,* velut ac si voluerim lectores decipere, P. Eschbach poterat, immo debebat, citatos a me auctores consulere et videre an recte scripserim et non inconsulte parere mihi odium apud lectores. Praeter ea,

[1] Cfr. « *De Conceptu* » etc., n. 103; « *Pro Conceptu* » etc., n. 38.

quae exposui in « *De Conceptu* » etc., n. 103, et in « *Pro Conceptu* » etc., n. 38, sciat P. Eschbach plura alia exempla me afferre posse de mulieribus menstruatis usque ad *tardissimam* aetatem, sed sequentia satis sint.

78. Dott. Webb [1] refert ex 13 mulieribus Indiae seq. tabulam cessationis menstrui, quae procedit usque ad 80 annum:

AETAS	NUMERUS MULIERUM	AETAS	NUMERUS MULIERUM
50	1	63	1
56	2	64	1
57	1	65	1
58	1	67	1
59	1	68	1
60	1	80	1

Doctor Schurig in suo opere refert plura exempla mulierum, in quibus menses cessarunt 60, 70, 76 aetat. an.; Bartolini loquitur de quadam muliere, quae 77° ann. denuo menstrua passa fuit, quaeque diu perseverarunt, et de alia, quae 80° aet. an. adhuc menstruata erat; Schurig ipse narrat de quadam, cui, cessatis menstruis 43° an., anno 81° denuo reapparuerunt absolute regularia, usque ad 85 an.; Hottinger refert *se novisse* mulierem quamdam, quae, post cessata menstrua 46° ann., an. 80° iterum passa fuit omnino regularia menstrua cum multa valetudinis commoditate; Bourgeois loquitur de duabus viduis, quae, more puellarum, regulariter menstruatae fuere usque ad 80 aet. ann. et ultra; de alia nobili matrona loquitur Fresenius, quae aet. 80 an. regularia menstrua habebat; G. Francus refert casum cuiusdam mulieris 89 aet. an. menstruatae; E. Hagendorm refert historiam robustae mulieris, quae iterum menstrua habuit 92 aet. an., quae iam cessaverant abhinc 40 annis et continuarunt tempore unius anni et 94 aet. an. obiit; Reinerus So-

[1] Webb, *Pathologia indica*. P. II, pag. 279.

lenander asserit *se norisse* nobilem mulierem, quae 101 aet. an. iterum menses habuit « ordine fluentes, magna commoditate naturae et valetudinis », qui continuarunt usque ad 103 aet. an.; Blancard refert de quadam, quae, perfecto 100 aet. ann., per tres integros annos menses regulares habuit; ipse Blancard asserit *se norisse* fratriam, quae perfecte regularia passa fuit menstrua *a prima iuventute usque ad 106 aet. ann.* [1].

79. Ut vero P. Eschbach sibi suadeat doctores adesse, docentes quae exposui de sera cessatione menstruorum usque ad 104 aet. ann., integrum locum, latine versum, ei ponam. Doctor Iulius Steinhaus, adsistens in pathologico instituto Universitatis Warschau, in suo opere, a me in dictis opusc. citato, haec habet: « Noscuntur etiam casus cessationis menstruorum tardissima aetate. Tilt describit duos casus cessationis menstrualis 61 aet. an., Mayer tres casus, in quibus aet. an. 64 menstrua adhuc perseverabant; Courty casum cessationis 65° aet. an.. Meissner observavit casum admiratione dignum, in quo menstrua, quae 20 aet. ann. inceperant, an. 60 cessaverant, an. aet. 75 denuo reapparuerunt perfecte regularia usque ad aet. an. 98, quo perfecto, cessarunt, et tandem aet. an. 104 iterum apparuerunt » [2].

80. De veracitate vero ceterorum casuum, quos in dictis opusculis retuli, ipse P. Eschbach videat Aa. a me citatos; sed

[1] Schurig. *Parthenologia historico-medica*. Dresdae et Lipsiae, 1729, pag. 139-146.

[2] Steinhaus I., *Menstruation und Ovulation*. Leipzig 1890, pag. 87. Textus ipse est: « Andererseits sind auch Fälle von ungewöhlich spätem Aufhörem der Menses bekaunt. Tilt beschreibt zwei Fälle von Aufhören der Menstruation im 61. Jahre, Mayer drei Fälle, in welchen sie im 64. Jahre noch nicht verschwunden waren, Courty einen Fäll des Aufhörens im 65. Jahre. Meissner beobachtete einem merkwürdigen Fall, in welchem die Menses, die im 20. Jahre eingetreten waren, im 60, verschwanden, im 75. Jahre wieder zum Vorschein kamen, bis zum 98 regelmässig waren, dann wieder aufhörten und endlich im 104. Lebensjahre wieder eintraten ».

potius insistam in nonnullis maximi momenti considerationibus, iuxta doctrinam a doctore Tilt expositam, quippe qui speciali in hac materia auctoritate hic doctor pollet. Tilt ait: « Alia facta possem addere, praeter citata, quae *non sunt quidem exempla irregularium fluxuum menstruorum,* sed *fluxus ipse menstruus perfecte regularis,* quum cum ipso coniungerentur omnia propria symptomata ordinaria vel accederet conceptio fetus. Haec facta adversantur opinioni illorum, qui asserunt, cessatis semel menstruis 40-50 aet. an., quamcunque haemorragiam, quae ex utero fluere potest, connexam esse cum aliquo celato ulcere; nam in nonnullis casibus protractae menstruationis nullum ulcus inveni » [1]. — Iterum: » Pressi potissimum, ipse ait, *frequentiam praegnationum in provecta aetate,* quia graves errores aliquando occurrerunt apud illos medicos, qui putabant hos casus esse impossibiles » [2], cum hasce praegnationes veluti tumores ovariorum curarent cum morte fetus et gravi periculo matris.

81. Sed « quae sunt causae, ipse quaerit, quae adeo menstrua protrahunt? « Ovaria, ait Tilt, possunt paralysi affici ante tempus ordinarie statutum, quo atrophica fiant, et *possunt* **sponte** *consuetam suam vitalitatem denuo acquirere* ob moralem concussionem subitaneae anxietatis, ob vehementes impressiones systematis ganglionaris, vel ob accessum febris vel ob morbum alicuius maximi momenti visceris. Ita patet fluxum sanguinis ex utero haberi non posse velut fluxum menstruum, nisi regulariter et periodice redeat » [3].

82. His praemissis, 1° lector videat an *meo marte* scripserim exposita a me in opusculis et hic; auctores enim

[1] Tilt, *Dell'età critica* etc., Torino 1872, pag. 21.
[2] Idem, ibid. p. 24.
[3] Idem, *Op. cit.*, pag. 25.

medici, quibus innisus sum, absque exceptione sunt et omni fide digni, eoque magis, quia *ex professo* tractant materiam, de qua agimus, et speciali auctoritate gaudent; 2° Patet quid sentiendum de doctrina doctoris Lapponi, qui rite scit quod scribit, etsi aliquis legens non recte intelligat; 3° Si Caia vetula, per explorationem, inveniretur adhuc habere ovaria, non esset, ob id, prohibenda a coniugio; si vero *certum absolute* esset, ipsam *penitus* habere ovaria *extincta*, velut ac si amplius non essent, aut ipsa ovaria ablata forent, prohibenda esset a coniugio, quia *de essentia* matrimonii requiritur capacitas generandi, quam ipsa amplius non habet, eo modo, quo senex, adeo exhaustus, qui nulla ratione arte medica reddi potest aptus ad generandum in perpetuo, ineptus est ad contrahendum, ut communis et certa tradit doctrina.

CAPUT V.

83. Sextum argumentum, quod P. Eschbach refellere aggreditur, desumptum est a casu impotentiae, a P. Bucceroni resoluto, in quo hic Auctor refert communem doctrinam et praesertim Angelici doctoris. En argumentum:

« Argumentum VI. — « Ex omnium catholicorum doctorum et praesertim Angelici Doctoris sententia, tria sunt, et nonnisi tria sunt bona matrimonii essentialia: *proles, fides, bonum sacramenti;* ita ut sine ipsis matrimonium haberi non possit, eaque omnia et sola requirantur et sufficiant, ut matrimonium habeatur. Quapropter A. D. loquens de huiusmodi bonis, in Suppl. q. 49, a. 1 ad 2, inquit haec bona esse de ratione matrimonii, scilicet quasi matrimonio intrinseca, et ad illius finem pertinentia per se, eademque bona esse quasi causantia nempe intrinsece, in ipso, i. e. in matrimonio, honestatem quae ei secundum se competit. Demptis igitur istis bonis, demitur matrimonii honestas adeoque demitur ipsum matrimonium.

« Quartum matrimonii essentiale bonum, nempe quod sit

in remedium concupiscentiae, non datur. Ac nullo modo intrinsecum et essentiale bonum matrimonii ita constituit, ut, eo remedii concupiscentiae bono exstante et prolis bono deficiente, matrimonium haberi possit. Remedium concupiscentiae accidentaliter et extrinsecus matrimonio accedit » (pag. 43).

Relato hoc argumento, quod minime est transcriptus ad litteram, uti conferri potest in *Pro Conceptu* pag. 62 et 64, quod quidem minime mutat eius sensum et vim, responsum ad hoc affert P. Eschbach:

« Responsum. — Solemnia utique ecclesiastica traditio verba D. Augustini accepit ita de bonis matrimonii disserentis: « Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis esse posset officium, sit aegrotis remedium... Hoc autem, quo bonae sunt nuptiae, tripartitum est: fides, proles, sacramentum. In *fide* attenditur ne praeter vinculum coniugale cum altera vel altero concumbatur; in *prole,* ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur; in *sacramento* autem, ut coniugium non separetur. Haec est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturae decoratur foecunditas. vel incontinentiae regitur pravitas ».

Tribus illis itaque bonis matrimonium christianorum honestari, duce Magistro, integra schola tenet. « In matrimonio enim, ait S. Thomas, seu in coniunctione viri et mulieris, rationis iactura accidit; tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in ipsa, ut Philosophus dicit; tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium: ut patet I Cor. 7. Et ideo electio talis coniunctionis non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum ex quibus dicta coniunctio cohonestetur. Et haec sunt bona quae matrimonium excusant et honestum reddunt ».

Aequaliter autem tria bona haec non sunt de necessitate matrimonii, nec ad eius essentiam pertinent. « Unum, scilicet sacramentum, est de necessitate matrimonii; sacramentum enim venit ex mutua obligatione et divina institutione et signatione illius unionis: et ideo quia ista sunt de necessitate matrimonii, per consequens et sacramentum. Sed alia duo bona quodam modo sunt de esse, quodam modo de bene esse. Si enim loqua-

mur quantum ad matrimonii usum, sic sunt de bene esse, quoniam usus matrimonii absque his esse potest, sicut quotidie est: et non solum est absque his, sed etiam cum suis oppositis. Unde sterilitatis et abortus procuratio et fidei fractio non dissolvunt matrimoniale vinculum contractum.

« Si autem loquamur quantum ad matrimonii contractum, qui est per matrimonialem consensum, sic potest esse contractus absque his duobus bonis, ut puta in sterilibus et in continentibus, si tamen non est contra haec. Tum autem est contra haec, *quando sub tali pacto consentitur*, ut prolis sterilitas procuretur, vel uxor alii prostituatur; tunc enim non est consensus vel pactio matrimonialis, sed potius adulterii, cum directe repugnet institutioni matrimonii. Sed carentia, sive absentia horum duorum non repugnat, quia fides venit ex recto matrimonii usu: et quia possunt homines abuti ipso, ideo potest deesse fides. Similiter proles venit ex fructu ventris et quia steriles possunt esse vel natura vel arte, ideo matrimonium hoc bono potest carere ». Hucusque D. Bonaventura.

Quare, postquam prius sibi obiecerit, « quod proles non sit de necessitate, quia matrimonium est inter steriles », sic respondet: « Ad illud quod obiicitur de bono prolis, quod propter hoc matrimonium institutum est, dicendum quod non tantum propter hoc, sed etiam in remedium et in signum: et ideo, *quamvis non sit ibi hoc bonum*, possunt tamen esse alia bona. Si autem homo stetisset, tunc semper fuisset hoc bonum, quia tantum fuisset, quia nulla esset sterilitatis poena » (pag. 43-45).

84. Uti patet ex hoc responso, P. Eschbach admittit tria bona, quae excusant et reddunt honestum matrimonium; at ex S. Bonaventura *putat* probare dicta tria bona non pertinere ad matrimonii *essentiam*. Sed dicendum P. Eschbach non recte intelligere sensum seraphici Doctoris, qui eamdem doctrinam tradit ac S. Thomas et integra catholica schola; S. Bonaventura enim dicit in matrimonio, sacramentum pertinere ad eius naturam, quia in Nova Lege matrimonialis contractus idem est ac sacramentum. De prole vero et fide ipse docet haec duo bona *duplici modo* pertinere ad matrimonium, uno modo quatenus sunt de eius *esse* seu de eius *es-*

sentia, altero modo quatenus sunt de *bene esse;* primo modo pertinent ad essentiam matrimonii, ac ideo absque iis matrimonium confici nequit; secundo modo pertinent ad *effectus* matrimonii seu ad eius *usum.* Declarans enim hanc distinctionem, S. D. docet, prout dicta bona considerantur relate ad *bene esse,* scilicet ad matrimonii usum, hoc consistere posse etiam absque his bonis, quia coniuges possunt male uti matrimonio, si per procurationem sterilitatis et abortus et per fractionem fidei, his matrimonii bonis opponuntur, cum matrimonii vinculum non dissolvatur. Si vero bonum fidei et prolis inspiciatur quatenus sunt de *esse* matrimonii, idest *de natura* et *essentia* contractus, seraphicus Doctor docet posse adhuc matrimonium consistere absque his bonis, ut in sterilibus et voluntarie se continentibus, dummodo contractus non sit effectus contra dicta bona; quia coniuges non tenentur absolute ad prolem, sed tantum si haec veniat, et non tenentur ad usum coniugii, sed tantum si velint; at si ipsi coniuges in pactum deducerent, in contractu matrimoniali, se nolle omnino illa bona, vel procurando sterilitatem, vel prostituendo uxorem, tunc matrimonium non contraherent, quia hic contractus repugnaret *institutioni* matrimonii ac ideo eius *substantiae;* et ita bonum prolis et fidei sunt, ex doctrina S. Doctoris, *de essentia* matrimonii. Qua re, si matrimonium contractum fuit iuxta suam *institutionem,* semper remanet matrimonium validum, etiamsi coniuges, postea, contra fidem vel prolem peccent, vel non habeant prolem ob sterilitatem; ac ideo, iuxta sua principia, fides et proles sunt de essentia matrimonii, quatenus scilicet contrahentes nequeunt aliquid ponere in contractu, quod sit contra dicta bona, et ideo intentionem saltem implicitam vel virtualem habere et fidem servandi et prolem suscipiendi, si veniat, quia proles potest abesse ob sterilitatem. Intentio vero habendi prolem non potest esse

idealis et speculativa, carentibus ex. gr. organis ad generationem, quia hoc absurdum esset et contra finem *institutionis* matrimonii, cum principalissimus finis matrimonii sit procuratio prolis in re, in quantum nempe pendet a coniugibus.

85. Consectarium vero huius doctrinae Seraphici Doctoris est, quod si coniuges nequeant habere prolem ob sterilitatem, possunt uti matrimonio, in remedium. Ergo ex doctrina S. Doctoris sequitur in sterilitate carentiam generationis esse *per accidens*, cum bonum prolis ipse doceat esse de essentia matrimonii. — Insuper seraphicus Doctor, loquens de impuberibus, docet, « quoniam ante tempus pubertatis non possunt masculus et femina generare » [1] nequeunt valide contrahere. Quo iure hoc doceret, si bonum prolis non esset de essentia matrimonii? Audiatur iterum classicus Sanchez: « Haec autem bona non adveniunt matrimonio ab extrinseco, *sed sunt de matrimonii ratione*, quare non indiget eis, quasi quibusdam extrinsecis ad illud honestandum; sed quasi causantibus in ipso intrinsecam honestatem; nam *bonum prolis et fidei*, idest *ut ordinetur ad prolem et mutuam fidem servandam, sitque vinculum indissolubile*, **ex sua natura habet;** et ut sit Sacramentum, habet in quantum est elevatum a Christo, ad hoc » [2]. Quapropter bonum fidei et prolis fuit etiam in matrimonio B. Virginis, et in statu innocentiae, cum sint matrimonio intrinseca, non certo quidem ut bona excusantia seu cohonestantia matrimonium, cum deficerent detrimenta, ob quorum causam bona excusantia requiruntur, ut ibid (n. 7) docet Sanchez.

Utrum vero talis expositio doctrinae perfecte cohaereat doctrinae loci citati S. Doctoris et sententiae P. Eschbach faveat, qui vult bonum fidei et prolis non esse de essentia

[1] In IV Sent., d. 37, a. 2, q. 1.
[2] Sanchez, *De Matrim.*, l. 2, d. 29, n. 5.

matrimonii iuxta S. Bonaventuram, lector ipse iudicet. Doctrina S. D. est penitus contraria doctrinae P. Eschbach.

Haec tria bona igitur adeo sunt de essentia matrimonii, ut absque iis matrimonium nullum valide fieri possit. Hinc est quod S. Thomas, in quaestione an actus matrimonialis excusari possit absque tribus his bonis, relatis obiectionibus pro suo more, docet: « Sed contra, remota causa, removetur effectus. Sed causa honestatis actus matrimonialis sunt matrimonii bona; ergo sine eis non potest actus matrimonialis excusari. Praeterea, actus praedictus non differt ab actu fornicario nisi in praedictis bonis. Sed concubitus fornicarius semper est malus. Ergo, si non excusatur in praedictis bonis, etiam matrimonialis actus semper erit malus » [1]. Si itaque ex A. D. dicta bona reddunt actum matrimonialem honestum, sunt de eius essentia; quapropter, ipsis deficientibus, actus est contra naturam et ne sedatio quidem concupiscentiae haberi potest absque iis. Qua ratione enim poterit adhiberi contra vulnus peccati quod peccatum est? Hinc est quod ex professo S. Thomas docet copulam, ex qua *per se* et *absolute* non potest sequi generatio, esse contra naturam, non vero illam, ex qua proles sequi non potest ob particulare aliquod *accidens*, ut est senectus vel infirmitas, ut supra exposuimus. At in muliere excisa deest in perpetuum bonum prolis et eius copula est contra naturam; natura enim per copulam intendit prolem. Haec ratio etiam est, qua S. D. docet: « principalius bonum matrimonii est proles ad cultum Dei educanda » [2]; et « in tempore contractus matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis, sed etiam **ex parte corporis** ut **sit tempus generationi aptum** » [3]. Hac de causa A. D. explicite nos docet

[1] S. Thomas, In IV, dist. 31, q. II, a. 2.
[2] S. Thomas, In IV, d. 33, q. I, a. 1.
[3] Idem, ibid., d. 27, q. II, a. 2.

omnem emissionem seminis, ex quo *secundum se*, scilicet spectata natura copulae et copulantium, non potest sequi generatio, esse contra naturam, ut supra item exposui. Tueri igitur tria praedicta bona non esse de essentia et natura matrimonii, *maximus error* est. Quod quidem facile evincitur ex ratione institutionis matrimonii; nam certum est ex S. Scriptura, ut supra vidimus, matrimonium primitus institutum fuisse tantum ad prolem generandam et non ad alium finem; ac ideo bonum prolis, cum sit finis necessarius matrimonii, necessario connectitur cum huius natura; matrimonium dein, cum sit coniunctio unius cum una, praesertim ut proles, inde generata, pie et sancte educetur, requirit ut neuter coniugum ad alterius torum accedat; quod quidem bonum fidei item sequitur naturam matrimonii. Quod vero sit etiam Sacramentum, hoc factum est ex voluntate Christi. Ac proinde in veteri lege tantum bonum prolis et fidei erant de essentia seu natura matrimonii, in nova vero accessit tertium bonum, seu bonum Sacramenti.

86. Ad auctores vero hic et superius citatos, qui, cum communi tradunt praedicta tria bona esse de *essentia* matrimonii, iuvabit et Barth. de Meldula referre, eoque magis quia, ut inferius videbimus, P. Eschbach suadere vult lectoribus talem Auctorem stare pro sua sententia. Hic A. loquens de conditionibus contrariis substantiae matrimonii, declarat has reddere nullum matrimonium, « *quia*, ait, *tria sunt bona matrimonii;* primum perpetuitas et indissolubilitas matrimonii; secundum susceptio et educatio prolis; tertium fides seu fidelitas inter ipsos coniuges... et dicuntur esse **de substantia** matrimonii, nempe **quantum ad obligationem,** licet non omnia quantum ad effectum... **quia matrimonii substantia in illis tribus bonis consistit,** in consensu scilicet et obligatione, ad societatem coniugalem, ad fidem mutuo servan-

dam et *prolem suscipiendam;* cum igitur praedictae conditiones his tribus repugnent bonis, sequitur matrimonii naturam et essentiam per illas conditiones appositas omnino destrui » [1]. Et haec est etiam doctrina Concilii Florentini sub Eugenio IV. Si dicta tria bona non essent de essentia et natura matrimonii, quomodo conditio illis contraria apposita matrimonium destrueret? Et si dicta simplex conditio, quae tantum a voluntate contrahentium pendet, matrimonium destruere valet, nonne *a fortiori,* cum dicta conditio posita sit a natura vel ab arte, ac proinde irremovibilis, ut in casu feminae excisae, destruere matrimonium valebit? Et adeo dicta bona sunt de natura et essentia matrimonii, sive inspiciatur ut contractus, sive ut vinculum, sive ut sacramentum, quod, in definitione ipsa matrimonii, conceptus prolis excludi nequeat; et quod est de essentia definitionis est de essentia rei definitae. Praeter definitiones, quas alibi adduximus [2], audiatur hic tantum Barth. de Meldula. Iuxta *vinculum,* matrimonium, ait: « est vinculum indissolubile inter marem et feminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad **procreandam prolem,** debite educandam » [3]; iuxta *contractum:* « est maris et feminae mutua translatio corporum suorum pro usu perpetuo ad **procreandam prolem** debite educandam » [4]; iuxta vero Sacramentum: « est expressio certorum verborum vel signorum aequivalentium maris et feminae ad se invicem significantium traditionem mutuam potestatis corporum ad **prolem** debite **procreandam,** ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum gratiosam » [5].

[1] Barth. de Meldula, In IV Sent. Q. 1, a. 1, 161.
[2] Cfr. « *Pro Conceptu* » etc., n. 35.
[3] Barth. de Meldula, In IV, Q. 1, a. 1, n. 3.
[4] Idem, ibid., n. 6.
[5] Idem, ibid., n. 10.

Coniugium igitur sive inspiciatur ut vinculum, sive ut contractus, sive ut Sacramentum, est semper coniunctio viri cum *muliere*. Mulier vero *non est amplius*, quae caret ovariis vel utero, vel utriusque simul, cum mulier nonnisi per organa generationis femina sit; mulier excisa igitur nec mas nec femina est, sed monstrum in ordine naturae, sive a natura ita sit, sive ab arte, eodem modo, quo vir, privatus testiculis, nec mas nec femina est amplius, sed monstrum naturae. Quomodo igitur matrimonium cum excisa femina posset appellari et esse coniunctio viri cum *muliere*, qualis requiritur ut matrimonium sit simul et vinculum et contractus et sacramentum iuxta suam naturam?

87. Omnibus his non obstantibus, P. Eschbach prosequitur:

« Ne Seraphico Doctori opponas Angelicum dicentem e contra « prolem esse essentialissimum in matrimonio ». Haec enim sunt eius verba: « Fides et proles possunt dupliciter considerari. Uno modo in seipsis, et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur et pactio coniugalis servatur, sed indivisibilitas quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se... et inde est, quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate, invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non dependet ab usu suo.

« Alio modo possunt considerari fides et proles, secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur *intentio prolis* et pro fide *debitum* servandi fidem: sine quibus etiam matrimonium esse non potest: quia haec in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur; ita *quod si aliquid contrarium huius exprimeretur* in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium: et *sic accipiendo* fidem et prolem, proles est essentialissimum in matrimonio ».

Porro paulo antea A. D. sibi ita obiiciebat: « Matrimonium est institutum in remedium et in officium, ut supra dictum est. Sed secundum est in officium, non indiget excusatione (seu bono excusanti); quia sic etiam in paradiso excusatione indiguisset, quod falsum est... Similiter nec secundum quod est in

remedium, sicut nec alia sacramenta quae in remedium peccati sunt instituta: ergo matrimonium huiusmodi excusantia habere non debet ».

Ad haec respondetur: « Dicendum quod matrimonium, ex hoc ipso quod est in officium *vel* in remedium, habet rationem utilis et honesti; sed utrumque bonum ei competit, ex hoc quod huiusmodi bona habet, quibus fit et in officium et remedium concupiscentiae adhibens ».

Unde sterilibus et vetulis « conceditur matrimonium secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae ».

Quare cum sic arguis: « Ex S. Thoma intentio prolis ita est de essentia matrimonii, ut sine ea hoc esse non possit, neque proinde dari in remedium.

« Sed quomodo intendere prolem ille censebitur qui feminam ducit notorie sterilem quae physice ad generandum sit impar? Ergo etc. ».

Respondeo ex ipso A. D. distinguendo maiorem: — Intentio prolis matrimonio essentialis est *negative*, quatenus in pactione coniugali seu in consensu, qui matrimonium facit, nihil bono prolis contrarium exprimatur: *Concedo*. — Necessaria seu essentialis est intentio prolis, quatenus contrahentes sub poena nullitatis debeant positive eam intendere aut in pactione exprimere: *Nego* (pag. 45 et ss.).

88. Uti liquet, P. Eschbach ad litteram usurpat verba A. D. « *intentio prolis* », quae requiritur de essentia matrimonii.

At ita intelligi non potest; docet enim A. D. bonum prolis et fidei duplici modo considerari posse, nempe in *seipsis* et *in suis principiis;* si inspiciantur in *seipsis*, scilicet in *actu*, pertinent ad usum matrimonii, cum possint non servari, post contractum, bona prolis et fidei, ut si quis adulteraret vel prolem impediret; si vero inspiciantur in *suis principiis*, scilicet in *obligatione* seu *causa*, quae dicta bona gignit, docet intentionem prolis et debitum servandi fidem esse etiam de necessitate seu essentia matrimonii, quia dicta bona oriuntur ex ipsa pactione seu obligatione coniugali;

si ex hac pactione itaque dicta bona ortum ducunt, pactio supponit in contrahentibus omnia ea, quae dictorum bonorum substantiam efficiunt, scilicet capacitatem generandi et debitum servandi fidem, sine quibus matrimonium esse non potest; absurdum enim esset obligare se ad habendam prolem in intentione, quando certo constat prolem in perpetuum esse impossibilem, puta in casu feminae excisae. Hac ratione sequitur, quod si contrahentes in ipsa pactione aliquid ponerent contrarium praedictis bonis, quae sunt de substantia matrimonii, matrimonium non contraherent. Et ita accipiendo fidem et prolem iuxta *causam*, seu pactionem, vel obligationem, quae dicta bona producit, proles est *essentialissimum* in matrimonio. Cum vero coniuges non sint domini habendi vel non habendi prolem, nec ad ipsam absolute obligentur, sed tantum si veniat, cum ab eorum voluntate minime pendeat, sequitur, steriles et senes, qui *quandoque*, ut ait A. D., nequeunt generare, posse valide contrahere et licite uti, quia absentia generationis et ideo bonum prolis, in his circumstantiis, fit *per accidens;* quod si vero constaret bonum prolis deesse absolute, per se et in perpetuum, nequeunt contrahere, quia bonum prolis est de essentia contractus quoad obligationem, et copula, si haberetur in his adiunctis, esset contra naturam, ut ab ipso A. D. pluries audivimus. Idem docet Sanchez: « Aliud esse sentiendum de tribus matrimonii bonis quoad obligationem et aliud quoad executionem; nam *quoad obligationem omnia illa sunt de matrimonii essentia; obligantur* enim *coniuges* **ex vi matrimonii** ad vitam individuam et reddendum sibi debitum, **prolemque non impediendam** et habitam educandam » [1]. Quo iure ergo P. Eschbach conatur inducere et A. D. faventem suae sententiae, cum A. D. contrariam et communem doctrinam hic et ubique tradit?

[1] Sanchez, *De Matrim.*, l. 2, d. 29, n. 12.

89. Ex dictis patet responsum P. Eschbach non tenere; nam intentio prolis, quae requiritur ad valorem matrimonii, non requiritur quatenus in pactione coniugali aliquid contrarium bono prolis exprimatur, sed requiritur quatenus *principium essentiale* ad valide contrahendum; et casus conditionis contrariae bono prolis est simplex casus particularis, cui A. D. dictum principium applicat; quod quidem facit ad ostendendum quantum essentiale sit in matrimonio hoc bonum. Et re quidem vera, A. D. exponit principium dicendo: « alio modo possunt considerari fides et proles, secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis et pro fide debitum servandi fidem, sine quibus etiam matrimonium esse non potest, quia haec ex ipsa pactione coniugali causantur »; addit dein casum particularem seu applicationem dicti principii his verbis: « ita quod si aliquid contrarium huius exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium ».

90. Sequitur tamen P. Eschbach afferendo, contra me praecipue, nonnullos alios doctores, putans hos favere suae sententiae. Audiamus eum.

« Scholae principum doctrinis, ait, consona esse quae apud utriusque discipulos legimus, ex relatis a limine sat deducitur. Quo tamen abundantius adversario hic satisfiat, unum adhuc vel alterum doctorem, qui ex professo praesentem materiam pertractarit, audisse grave non erit.

Sic itaque Catalanus: « Inter caeteros fines, ob quos matrimonium institutum fuit, numeratur generatio filiorum ad humanam speciem conservandam et multiplicandam, ac concupiscentiam sedare. Congruum siquidem fuit non solum consulere humani generis conservationi, verum etiam, post Adae peccatum ne caro adversus spiritum concupisceret, alliciendo voluntatem ad inhonestos concubitus, opportunum instituere remedium ad tales inhonestorum concubituum motus sedandos, ut sapienter ait Divus Paulus, ad Corinth. cap. VII: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum*

habeat. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. — Unusquisque finis honestus est et licitus coniugibus, et quamvis ad concupiscentiam sedandam uti possint coniuges orationibus, ieiuniis, macerationibus, et aliis opportunis remediis, non tamen adstringuntur ad utendum illis ».

Eodem sensu Barth. Mastrius de Meldula: « Per impotentiam intelligitur inhabilitas consummandi matrimonium, quae inhabilitas non est ex eo quod alter coniugum aut uterque sint steriles, quia impotentia ad generandum seu ad prolificandum, dummodo adsit potestas ad copulam carnalem et seminationem, non est impedimentum dirimens, ut omnes passim concedunt cum Scoto IV, d. 81, ubi ait quod contrahens non tenetur absolute ad prolem, sed conditionate si eveniat, ad gratanter suscipiendam et religiose educandam et non ad procurandum studiose oppositum, scilicet ne eveniat, et ubi est *certa impossibilitas ad bonum prolis*, tunc matrimonium est ibi in remedium non in officium, quia institutio divina, respectu matrimonii, licet fuerit ad procurandam prolem, tanquam propter finem principalem et primarium, tamen praeter hoc fuit institutum etiam in remedium, scilicet vitandae incontinentiae post lapsum, tanquam propter finem secundarium et minus principalem. Quare in casu sterilitatis matrimonium est in remedium concupiscentiae, quia homo, post lapsum Adae, uritur a concupiscentia. Deus autem huic morbo piissime subvenit ut, etiamsi proles non *possit* haberi, matrimonia fiant, et ideo dixit Apostolus I Cor. cap. VII: *Propter vitandam fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et mulier suum virum;* et postea, nulla prolis mentione facta, subdit: *Melius est nubere quam uri;* quare doctores omnes docent, validum esse matrimonium inter steriles contractum, quia inter istos adhuc intercedit vera copula apta, ex natura sua, ad generationem prolis » (pag. 47-49).

91. Videamus nunc quid praefati auctores *vere* docent.

In primis noto, Catalanum in omnibus quaestionibus, quae respiciunt consummationem matrimonii, affinitatem, impotentiam et ceteras huiusmodi, sequi Sanchez, iuxta quem *probabilius* tuetur ad generationem humanam sufficere semen viri et mulierem nihil necessarium praebere, quod est

falsum. His praemissis, Catalanus tradit doctrinam, quae penitus adversatur sententiae P. Eschbach. Loquens enim de institutione et fine matrimonii, habet: « Post peccatum vero **illud idem matrimonium, quod fuit in officium naturae ad generationem humanam multiplicandam, transiit etiam in remedium concupiscentiae** » [1]. Ergo, si illud ipsum matrimonium, ordinatum in sua institutione tantum ad generationem, est per quod sedatio concupiscentiae haberi potest, quomodo erit **illud idem** matrimonium in officium cum muliere excisa, inhabili in perpetuum ad generandum?

De *finibus* vero, ob quos matrimonium fieri potest, ita docet Catalanus: « Finis, ob quem matrimonium contrahi potest, alius est *essentialis, accidentalis* alius, alius *extraneus*. *Essentialis,* consistit in mutua traditione corporum et obligatione ad reddendum debitum. *Accidentalis, qui tamen proprie spectat* ad matrimonium, est **generatio prolis,** iuxta illud Gen. 5, « Crescite et multiplicamini », ac in remedium concupiscentiae, ut ait S. Paulus ad Cor. 7, « Propter fornicationem » etc. *Extraneus* denique consistit in voluptate, divitiis, honore, pace in republica vel consanguineis et similibus » [2].

Sed quid importat *essentialis* traditio corporum ad debitum reddendum? Audi: « In matrimonio, ait Catalanus, siquidem traduntur corpora ad coniugalem usum **ob generationem, non vero ad alium** ob explendam libidinem » [3].

Prosequitur Catalanus: « Iam vero **finis essentialis in matrimonio contrahendo ita haberi debet a contrahentibus illud, ut sine ipso nec licite, nec valide contrahi possit.** *Finis* vero *accidentalis* contrahendi ma-

[1] Catalanus, *Univ. iur. theol. mor., De Matrim.,* P. III, q. XI, c. 2. n. 1.
[2] Catalanus, Ibid., c. VI, q. XI, n. 1.
[3] Idem, ibid., q. XII, c. VIII, n. 3.

trimonium ob prolis generationem expresse, **quamvis virtualiter saltem habeatur finis essentialis,** *licitus pariter* erit absque dubio; nam Auctor ipse Naturae ad hunc finem matrimonium ordinavit. *Licitus* pariter erit *alter finis accidentalis* matrimonium contrahendi ad sedandam carnis concupiscentiam et fornicationem vitandam, si adsit periculum illius, **retento saltem virtualiter fine essentiali** » [1]. Mulier excisa, quomodo potest retinere, saltem virtualiter, finem essentialem matrimonii, qui est generatio prolis, quae ipsi impossibilis absolute et perpetue evadit? Exposita hac doctrina, facile intelligitur quid valeant verba Catalani ab Eschbach allata: « uterque finis honestus est et licitus coniugibus » [2].

De matrimonio vero sterilium haec docet Catalanus. Matrimonium sterilium est validum, « quia semel ac valent semen effundere, fieri possunt una caro, nec semen illud est *ex se* inaptum ad generationem, sed **per accidens** ex temperamento speciali subiecti frustratur suo fine » [3].

Matrimonium vero inter senes et decrepitos validum est, « si vir natura vel arte iuvari possit ad copulam habendam; nam de muliere etiam decrepita controversia non est, dummodo possit semen recipere [4]; eo enim ipso quod vir iuvari possit natura vel arte ad copulam habendam, fieri potest una caro cum sua muliere, ex quo congressu *possel per se generatio haberi,* esto non habeatur *per accidens* ». Si vero « senex adeo exhaustus esset, ut iudicio

[1] Idem, ibid., q. XI, c. VI, n. 2.
[2] Idem, ibid., q. XII, c. VI, n. 2.
[3] Idem, ibid., q. XV, c. 19, n. 14.
[4] Superius (q. XV, c. 17, n. 11) Catalanus docuerat mulierem non esse impotentem, si nequeat seminare, « quia semen muliebre non est necessarium ad generationem prolis, esto valde conferat ad generationem, ut habet probabilior sententia. Sic docent Sanchez » etc. Uti liquet Catalanus, ut omnes Aa., agit hic de vera generatione humana et errat cum Aristotile, Sanchez etc. putans ad concipiendum fetum sufficere virile semen.

medicorum impotens omnino iudicaretur ad copulam habendam etiam cum adiutorio medicamentorum, tunc enim esset *absolute impotens,* eo quia copula evaderet ei impossibilis et *de essentia matrimonii est natira obligatio ad copulam* » [1], quia, ut idem Catalanus docet, in matrimonio « traduntur corpora ad coniugalem usum *ob generationem, non vero ad alium ob explendam libidinem* ».

Hac itaque posita doctrina Catalani, quomodo P. Eschbach suam potest fulcire sententiam, cum penitus contrarium doceat Catalanus?

Sed tamen procedamus.

92. Post Catalanum accedat Barth. Mastrius De Meldula, quem iam pluries audivimus tradentem doctrinam penitus evertentem doctrinam P. Eschbach. P. E. refert nunc locum Mastrii de Meldula ex disputat. in *lib. IV Sententiarum;* videamus ergo, quid hic A. doceat. Dolendum valde est quod P. Eschbach tam frequenter loca Auctorum mutilet, et videre et legere recuset verba praecedentia et sequentia locorum, quae citat.

Locum Barth. M. de Meldula citatum a P. Eschbach haec doctrina immediate praecedit: « *Cum finis primarius matrimonii sit prolis generatio* et haec nonnisi per carnalem copulam naturali modo obtineri non possit, plane **vir et femina,** *qui matrimonio sunt iungendi, ad* **huiusmodi copulam habiles esse debent;** quare **impotentia et inhabilitas ad exercendam talem copulam ad humanam generationem necessariam, maxime matrimonium impedit,** et hoc est **impedimentum dirimens,** de quo in praesenti questione agendum est, sive **hoc se teneat ex parte viri, sive ex parte mulieris,** dummodo fuerit eo tempore, quo matrimo-

[1] Catalanus, ibid., q. XV, c. 17, n. 15.

nium contractum est, non vero postea subsecutum sit; sed quia varii sunt huius impotentiae gradus, prius absolute videndum est et in generali, qualiter impotentia simpliciter impediat ac dirimat matrimonium, deinde singillatim et in particulari quaenam impotentia dirimat iuxta ordinem, quem servat doctor noster, ubi agit de hoc impedimento » [1].

Hac doctrina praemissa, statim M. de Meldula prosequitur: « Per impotentiam *in praesenti, ut dixi,* intelligitur inhabilitas consummandi matrimonium, *sive ex parte viri teneat, sive ex parte feminae,* quae inhabilitas non est ex eo... » etc.; hic pergit locus citatus a P. Eschbach. Verba vero subsignata omisit P. Eschbach, quae tamen sunt maximi momenti.

Quid haec doctrina significat? Clarissime M. de Meldula docet impotentiam, dirimentem matrimonium, semper haberi, cum coniuges non possunt copulam exercere necessariam ad humanam generationem, sive hoc sit ex parte viri, sive ex parte feminae. Quaero a P. Eschbach, utrum et quomodo mulier excisa possit talem exercere copulam, cum certum sit eam inhabilem esse in perpetuum ad generandum. Ergo mulier excisa est absolute impotens ac ad matrimonium omnino inhabilis ex doctrina Mastrii de Meldula, quae doctrina est ecclesiastica et communis catholicorum doctrina.

93. Et talis mulier poterit-ne dici tantum sterilis ex nunc exposita doctrina? Minime; quia, ne habeatur impotentia, requiritur ex parte ipsius mulieris copula necessaria ad humanam generationem, cuius ipsa amplius non habet capacitatem.

Quod si coniuges habeant quidem potentiam exercendi copulam ad humanam generationem necessariam et tantum per accidens proles non sequatur, tunc sunt *steriles,* quia

[1] Barth. Mastrius de Meldula, In IV Sent., Q. 15, a. 1, disp. 7, n. 410.

non tenentur absolute ad prolem, sed tantum si veniat; ac ideo his permittitur usus matrimonii in remedium, etsi certo constaret de impossibilitate generandi, puta in casu deviationis colli uteri, vel mucus aciduli in vagina etc.; ergo in casu sterilitatis abest impotentia, cum, ex doctrina allata, steriles sint per se capaces generandi. Quod quidem clare indicat de Meldula, cum dicit « quod contrahens non tenetur absolute ad prolem, sed *conditionate si eveniat* »; in quibus verbis « *si eveniat* » admittit possibilitatem prolis. At in muliere excisa haec possibilitas est in perpetuum impossibilis.

94. Post Barth. de Meldula, P. Eschbach ad iudicium pro sua tuenda sententia vere deplorata, appellat Salmanticenses et scribit:

« Salmanticenses hac eadem de re ita habent:

« Notandum est triplicem finem posse in matrimonio inveniri. Alius intrinsecus et substantialis, ut est traditio mutua, obligatio radicalis reddendi debitum, et etiam inter fideles vinculum indissolubile, significans Christi cum Ecclesia indissolubilem nexum, qua ratione inter bona matrimonii bonum sacramenti enumeratur.

« Secundus finis est accidentalis, *intrinsecus* tamen ipsi mamatrimonio, ut est prolis procreatio, *remedium concupiscentiae*, iuxta illud Pauli: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.*

« Tertius finis est extrinsecus, ut si quis nuberet ob comparandos amicos et affines etc... »

Hisce praemissis, in quarta conclusione sic iidem auctores aiunt:

« Si quis intenderet etiam ut finem primarium et principalem duplicem finem accidentalem et intrinsecum matrimonii *aut unum ex illis* ut remedium concupiscentiae aut prolis generationem, nec venialiter peccaret sed opus bonum et meritorium efficeret. Ita Dicast. Coninck. Basil. Palaus. Anton. Et ratio est: tum quia D. Paulus I ad Corinth. VII ait absolute: *Propter fornicationem* (utique evitandam) *unusquisque suam*

uxorem habeat. Ergo si primario intendatur talis fornicationis evitatio, nullum peccatum committitur. Tunc etiam quia nulla lex praecipit, ut id quod in opere primarium est primo intendatur, dummodo honestum et bonum sit quod intenditur et maxime quod sit operi intrinsecum quod exercetur.

« Imo qui inter ipsos accidentales, eum qui primarius est *excluderet,* intendendum secundarium, ut *si non intenderet prolem procreare, sed solum concupiscentiam sedare,* nullum peccatum est, ut si sterilis magis stimulis concupiscentiae agitaretur et vellet nubere, ut se ab eis liberaret ».

Porro « nota, ait Coninck S. I., contrahentes posse tripliciter excludere finem primarium sive generationem: — *a)* mere negative, eam non intendendo; — *b)* optando eam non sequi et ideo volendo etiam quaedam, ad quae non obligantur, omittere aut quaedam facere alias licita; — *c)* eam impediendo positiva actione vel rei debitae omissione ». Quibus enunciatis auctor, postquam dixerit esse peccatum mortale ex genere suo contrahentes excludere tertio modo generationem, sic pergit: « Etsi in ordinante matrimonium ad copulam sit saepe aliquod peccatum secundo modo excludere generationem, tamen absolute potest sine peccato fieri. Exemplum sit in paupere qui sentit magnos stimulos carnis, et timens ne labatur ducit uxorem, et quia non habet media unde posset alere prolem, optat sibi non nasci, vel etiam ducit aliquam quam credit iam sterilem ». Alibi idem auctor docet quod « nullum peccatum est coniugem petere debitum praecise ut incontinentiae periculum in se ipso vitet » (pag. 49-50).

95. Quid dicendum? Superius iam vidimus Salmanticentium doctrinam penitus adversari sententiae P. Eschbach. Heic, ut facile apparet, agitur de finibus matrimonii. Salmanticenses docent: « *Alius* (finis est) *intrinsecus et substantialis, ut traditio mutua, obligatio radicalis reddendi debitum* ». At quid importat hoc intrinsecum et substantiale matrimonii? Audi quid dicant praedicti Aa.: « **De essentia matrimonii est obligatio ad reddendum debitum et ius ad petendum, ac proinde traditio corporum**

cum potentia ad generationem »[1]. Mulier excisa habet quod requiritur de essentia matrimonii, nempe corpus cum potentia ad generandum?... Sed P. Eschbach argumentum pro sua sententia, putat invenisse in *fine secundo* matrimonii, iuxta Salmanticenses, qui dicunt: « Secundus finis est accidentalis, *intrinsecus* tamen ipsi matrimonio, ut est prolis procreatio, *remedium concupiscentiae* » etc. At perperam; nam *procreatio prolis* est **intrinsecum** in matrimonio **substantialiter,** quia pertinet ad essentiam matrimonii; remedium vero concupiscentiae est matrimonii *intrinsecum* **accidentaliter,** ut docent iidem Aa., quia *per accidens* accessit matrimonio, ad generationem tantum primitus instituto; est etiam *intrinsecum* accidentaliter, quia sedatio concupiscentiae potest haberi *tantum* per illud ipsum matrimonium primitus institutum et non alias. Hinc sequitur, quod si quis concupiscentia vexatus, matrimonium contraheret ob hunc finem, non excludendo quod est de essentia eiusdem, minime peccaret; immo, si contrahens certo sciret se esse *sterilem,* et contraheret ob remedium, item minime peccaret, quia contrahens non tenetur absolute ad prolem, sed tantum conditionate si eveniat. At steriles supponendi sunt habere quod est *de essentia* matrimonii, h. e. corpus cum potentia ad generationem, etsi ob aliquod accidens generatio non sequatur; alias invalide contraherent. Et haec est doctrina Salmanticensium, quae omnino cohaeret cum doctrina communi. Quid dicit P. Eschbach?

96. Absoluto hoc examine et ita rite intellecta evidenti doctrina Mastrii de Meldula et Salmanticentium, accedamus ad Conninck, cum P. Eschbach velit suadere lectoribus hunc auctorem tueri suam sententiam. Et, quo melius appareat quid de finibus matrimonii doceat Conninck, sinat lector nonnulla paullo diffusius ex ipso adducam.

[1] SALMANTICENSES, *Op. cit.*, c. 12, punct. 19, n. 111.

« Contrahentes, ipse ait, posse tripliciter excludere finem primarium matrimonii, sive generationem; 1° mere negative eam non intendendo; 2° optare eam non sequi et ideo volendo etiam quaedam, ad quae non obligantur, omittere, aut facere alias licita; 3° eam impediendo positiva actione vel rei debitae omissione » [1]. — Quis non videt in his verbis agi de *possibilitate generationis*, cum indicentur modi eam excludendi, mente vel facto, ac proinde Conninck admittere clare in contrahentibus capacitatem generandi?

Dein, ait: « Conclus. 1ª. Est peccatum et quidem ex genere suo mortale contrahentes excludere tertio modo generationem, quia hoc fit vel negando debitum vel procurando abortum aut sterilitatem, quae sunt peccata mortalia. Et haec apud omnes est certa ».

« Concl. 2ª. Etsi in ordinante matrimonium ad copulam sit saepe aliquod peccatum secundo modo excludere generationem, tamen absolute potest sine peccato fieri. Videntur id tenere Soto... apud Sanchez. Exemplum sit in paupere qui sentit magnos stimulos carnis et timens ne labatur, ducit uxorem; et quia non habet media, unde possit alere proles, *optat sibi eas non nasci;* vel etiam ducit aliquam, quam credit iam *sterilem,* ne prelium multitudine gravetur. Quod licite fieri probatur; quia coniugati ob iustam causam v. g. si ob paupertatem non possint bene alere proles, licite, dum utuntur matrimonio, *optant* ut iis plures filii non nascantur » [2]. Etiam in his verbis Auctor supponit *possibilitatem* prolis, ac ideo in contrahentibus capacitatem generandi.

« Dices, pergit Conninck, esse diversam rationem. Nam matrimonium est Sacramentum, quo uti ad finem non proprium videtur gravis inordinatio. Respondeo nos non agere

[1] Conninck, *De Sacramentis,* d. 25, dub. 2, n. 1.
[2] Idem. ibid., n. 14.

hic de matrimonio, ut Sacramentum est, (cuius finis ut sic non est generatio, sed sanctificatio suscipientium, quam nolle fateor esse grave peccatum), sed prout est contractus quidam causans tale vinculum, qua ratione non est magis sacrum, quam copula; atque ita excludere huius finem non est maior inordinatio, quam excludere finem copulae. Immo ille est minor quam copula magis immediate ad generationem ordinata; unde *hac nunquam licet uti eo modo, qui repugnet generationi*, illud autem licet tali modo (v. gr. cum sterili, vel cum mutua obligatione ad castitatem) inire... Confirmatur, quia, ut docet Sanchez, licite quandoque aliqui contrahunt cum expressa intentione atque etiam obligatione numquam consummandi et consequenter excludendo intrinsecos fines matrimonii. Item, ut patet ex dictis, possunt coniuges ob iustas causas uti copula *cum desiderio ne nascatur eis proles*; ergo possunt velle matrimonium eiusque usum, non intendendo generationem atque *optando ne sequatur*. Quod enim licite intenditur diversis actibus, licite etiam intenditur uno eodemque »[1]. His verbis clare liquet, Conninck non agere de contrahentibus, qui absolute et per se nequeunt generare, sed de iis, qui, *potentes ad prolem, optant* ne nascatur eis ob iustas causas et cum hoc desiderio contrahunt. Est-ne idem casus feminae excisae?...

« Concl. 3ª Ordinans matrimonium primo modo ex recensitis n. 13 ad copulam, eam directe et per se intendendo, videtur peccare venialiter, nisi primario intendat generationem vel concupiscentiae remedium. Quia inire matrimonium praecipue ob eiusmodi delectationem, videtur aliqua inordinatio, cum illud sit res gravissima, haec valde vilis, nec talis videtur alium fere finem hic posse intendere ».

« Potest tamen talis honeste nihil aliud intendere quam

[1] Conninck, ibid., n. 15.

concupiscentiae remedium, quia honestum est fugere periculum peccati, nec alium quis finem absolute tenetur intendere, sive sit aptus ad generationem, sive non, ut patet ex dictis » [1]. Hic Conninck docet, contrahentes, qui excludunt *mere negative* generationem, scilicet nihil agentes pro vel contra ipsam, si contrahunt ob solam voluptatem, peccare venialiter; si vero contrahunt ob remedium, non peccare. Uti patet Conninck admittit etiam hic possibilitatem generandi, quia alias impossibile et absurdum esset, quoad generationem, contrahentes mere negative se habere.

« Hinc sequitur, concludit Conninck, 1° contrahentes *necessario* consentire 1° in mutuam traditionem dominii proprii corporis ad usum coniugalem, *quia in ea consistit essentia matrimonii;* 2° perpetuitatem...; 3° in obligationem reddendi debitum non quocumque modo, sed cum debite exigatur. Item in obligationem, quamdiu matrimonium durabit, numquam aliam a coniuge cognoscendi *et non impediendi generationem,* et prolem, *si nascatur,* christiane educandi, **quia eiusmodi obligatio necessario cum essentia matrimonii coniuncta est** » [2]. Dicat nunc P. Eschbach, utrum mulier excisa habeat quod requiritur, ex doctrina Conninck, de essentia matrimonii, an scilicet ex ea sit possibilis generatio, ut sterilis tantum dicatur. Cum ex ipsa numquam possit proles oriri, caret de essentiali elemento ad matrimonium, ac proinde nunquam poterit valide contrahere, quia est vere impotens. Et quaero etiam a P. Eschbach, qua ratione tam facile afferat loca auctorum, *prout vult,* et negligat *perfectam* eorum doctrinam tradere lectoribus? Nulla alia sane adesse potest ratio, quia, completa et rite intellecta, Doctorum doctrina suam sententiam funditus evertit. In disputationibus

[1] Conninck, *Op. cit.*, n. 16.
[2] Idem, ibid., disp. 24. dub. 4, n. 40.

tanti momenti, oportet illud prae oculis habere: Amicus Plato, sed magis amica veritas.

97. P. Eschbach dein affert locum D. Thomae, docentis: « Duobus solis modis coniuges absque peccato conveniunt, scilicet causa procreandae prolis et debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale ». Et probat ex auctoritate nonnullorum auctorum hoc peccatum non existere (pag. 50). Quod quidem nos minus tangit, cum semper certum sit, ex doctrina A. D., *usum* matrimonii ob solum remedium in se non licere.

98. Alacriter prosequitur P. Eschbach in sua sententia probanda suo modo. Nunc non amplius est theologorum et canonistarum doctrina, ad quam appellat, sed est Catechismus Conc. Tridentini ad Parochos. Audiamus:

« Demum, ait, coronidis instar, en quae nos docet Catechismus Concilii Tridentini ad parochos:

Vir et mulier iungi cur debeant.

« Sed quibus de causis vir et mulier coniungi debeant, explicandum est.

« *Prima causa.* — Prima igitur est, haec ipsa diversi sexus naturae instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata: ut alter alterius ope adiutus vitae incommoda facilius ferre, et senectutis imbecillitatem sustentare queat.

« *Secunda causa.* — Altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum, et divitiarum heredes relinquantur, quam ut verae fidei, et religionis cultores educentur, quod quidem maxime sanctis illis Patriarchis, cum uxores ducerent, propositum fuisse, ex sacris litteris satis apparet.

« NOTA. — Atque una etiam haec causa fuit, cur Deus, ab initio, matrimonium instituerit; quare fit ut illorum sit scelus gravissimum, qui matrimonio iuncti, medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt, haec enim homicidarum impia conspiratio existimanda est.

« *Tertia causa.* — Tertia est, quae post primi parentis lapsum ad alias causas accessit: cum propter iustitiae, in qua

homo conditus erat, amissionem, appetitus rectae rationi repugnare coepit, ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suae conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur, de quo ita Apostolus scribit: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.* Ac paulo post, cum docuisset, interdum orationis causa a matrimonii debito abstinendum esse, subiecit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.*

« NOTA. — Hae igitur sunt causae, *quarum aliquam* sibi proponere quisque debet, qui *pie, ac religiose,* ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere ».

Scholium. Hucusque theologorum recitatis, ad rem pertinentibus, doctrinis, par nobis videtur, ut benevolus ipse et sapiens lector, iudicare velit et decernere quatenus in relato adversarii argumento asserta corrigi velint vel distinctionibus explicari (pag. 52-54).

99. Nunc, ut rite intelligatur haec doctrina Catechismi Conc. Trid., unum oportet praemittere, scilicet hanc doctrinam non posse ullo modo adversari doctrinae certae alias habitae in Ecclesia. Hinc, quoad *primam* causam, noto *solum* finem societatis diversi sexus expetitae instinctu naturae non sufficere ad valide contrahendum, quia, ex iure naturae et Ecclesiae, eunuchi, utroque teste privati, ob hunc tantum finem possent contrahere, quod falsum est. Quoad secundam causam, Catechismus Conc. Trid. docet, hanc *unam* fuisse causam, ob quam Deus primitus matrimonium instituit et vere homicidas esse, qui prolem impediunt vel interimunt quocumque modo, ac proinde docet generationem esse de *essentia* seu *natura* matrimonii. Quoad tertiam causam, idem Catech. docet hanc esse remedium concupiscentiae, quod *ad alias causas accessit* post lapsum; quod si accessit post lapsum ad alias causas, patet eam non esse ipsi matrimonio essentialem; si non essentialis, matrimonium, absque eo quod est de essentia, haberi non potest; accessorium enim sup-

ponit et sequitur principale. Quarum trium causarum aliquam sibi quis proponere debet, supposito semper eo, quod est de essentia matrimonii; alias eunuchi possent contrahere contra incommoda vitae et senectutis imbecillitatem. Praeterea idem Catech. docet: « Matrimonium ab eo dicitur, quod femina idcirco *maxime* nubere debeat, *ut mater fiat;* vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est » (*De Matrim.* n. II); item idem Catech. docet: « Tria esse matrimonii bona: prolem, fidem, sacramentum; quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis: « Tribulationem carnis habebunt huiusmodi », efficiturque ut coniunctiones corporum, quae extra matrimonium merito damnandae essent, cum honestate coniunctae sint. *Primum* igitur bonum est « proles », hoc est *liberi,* qui ex iuxta et legitima suscipiantur uxore; id enim tanti fecit Apostolus, ut diceret: « Salvabitur » mulier « per filiorum generationem » (ibid, n. XXIII). — His positis, doctus lector iudicet quid doctrina Catechismi Conc. Trid. faveat sententiae P. Eschbach, qui tantum in sonitu singulorum verborum sistere videtur, potiusquam perfectam doctrinam mente complecti et intelligere.

100. Ultimum demum argumentum contra hucusque traditam doctrinam affert P. Eschbach, pro sua sententia, ex Constit. Sisti V contra eunuchos. En argumentum:

« Argumentum VII. — Sistus V, P. M., motu proprio *Quod frequenter,* die 27 Iunii 1587, Hispaniarum Nuntio mandavit ut Apostolica Auctoritate contrahi prohibeat coniugia per quoscumque eunuchos aut spadones, utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles declaret et contracta ab iisdem matrimonia irrita esse et invalida decernat.

Sed quod viris in ordinem ad generationem sunt testes, hoc feminis sunt ovaria, propterea testes muliebres dicta. — Ergo

etiam mulieres eunuchissae ad contrahendum plane inhabiles declarandae sunt » (pag. 54-55).

101. Exposito hoc argumento, P. Eschbach dicit Sixtum V locutum fuisse tantum de eunuchis masculis, et, ratione physiologica habita testiculorum et ovariorum, non licere aliud deducere nisi feminas orbatas utroque ovario non posse contrahere. Ast declarat conceptum de impotentia feminea, quem tuemur, non sistere in hoc tantum, sed respicere etiam alios defectus genitalium internorum, ob quos generatio nullo modo obtineri potest, ut medici docent. Itaque, etsi ipse, utens argumento ad hominem, ut ait, velit dare Constit. Sixtinam quod valeret pro feminis castratis, nostra thesis nihil inde proficeret. His praemissis, en cardo quaestionis, quam tractare nititur, scilicet: « Utrum autem quod Pontifex Sixtus V de eunuchis decrevit, ad eunuchissas transferri debeat, aut, salvo iure, liceat, sedulo, cum in odiosa materia versemur, nunc discutiendum occurrit ».

102. En eius argumenta ad hoc probandum:

« Nos igitur attendentes, quod, secundum canonicas sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur...

« Insuper considerantes, quod ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationes illecebrae et incentiva libidini oriuntur » etc.

Sed 1. Quod Pontificem primo loco movet, ad feminas referri posse, nemo est qui contendat. Duce Angelico Doctore, schola theologorum integra consentit frigiditatem, quae coniugem impotentem reddat, soli viro accidere; quare in iure nulla unquam de feminarum frigiditate fit mentio. Frequentissima e contra est virorum ob frigiditatem impotentia ad copulam: maxime frigidi inveniuntur qui eunuchi sunt nati aut in teneris annis exsecti.

2. Altera Pontificis ratio spadones magis respicit seu eunuchos post adeptos pubertatis annos, testiculis orbatos. Infausta

utique experientia constat, horum quamplurimos continuo libidinis incendio consumi, quia ad specificam concupiscentiae quiescentiam et sedationem, quae copulam coniugalem excipit, pertingere nunquam valent.....

Huiusmodi itaque, praeterquam quod nihil queant in ordine ad generationem prolis, in matrimonio neque remedium sibi inveniunt contra concupiscentiam neque coniugi procurant, cum nonnisi copula perfecta, seminante viro, feminis id praestare nata est. Quare undequaque, quoad primarium atque secundarium matrimonii finem, probatur quod ait Pontifex, scilicet ex talium eunuchorum coniugiis nullam utilitatem provenire, sed potius tentationi illecebras et incentiva libidinis oriri ».

Si iam quaeras, num altera haec Sixtinae Constitutionis ratio de coniugiis valeat, quae a viris sanis cum feminis eunuchissis, duplici ovario privis, valeat, nihil haesitantes respondemus *negative*.

Et re quidem vera, licet ad prolem concipiendam aequali necessitate requiratur vel sperma virile vel femineum ovulum, tamen in generationis oeconomia eadem utriusque non est identica ratio.

Nam 1. — Sperma, seclusa coniugali copula, effundere, legi naturali contradicit. — Ovulorum e contra singulorum, cum maturitatem attigerint spontaneam, citra copulam, eiectionem natura ipsa, omni fere mense, apud puberes expostulat atque efficit.

2. In sui spermatis effusione exclusive sistit vehemens illa, omnium maxima, delectatio quam, natura duce, vir in venereis experiri capax est. Feminis autem non ovulorum secretio atque eiectio vehementem veneream huiusmodi delectationem causat, sed effusio illa specifica, quam copulantes regulariter patiuntur et « femineam seminationem » veteres dicebant. Hanc extra copulam promovere lex eadem naturalis sub gravi prohibet.

3. Nisi vir copulans intra femineum vas semen effundat, imperfectus manet coniugalis actus atque in ordine tum ad primarium tum ad secundarium matrimonii finem, prout supra dictum est, plane inefficax. — Mulier vero nullum in promptu habens ovulum quod segreget, virum admittere ita valet, ut ex parte utraque completus vadat actus coniugalis, finem saltem alterum coniugii attingens.

Ex his utique deducere est, masculum semen immediate ad

copulam, seu ad id quod in generationis oeconomia « opus hominis » habetur, et mediate ad opus naturae se referre, dum e contra femineum germen seu ovulum ad solum generationis opus pertinet quod est a natura.

Quare sit conclusio: Sixtinam scilicet de eunuchis masculis declarationem ad eas feminas tranferre, quae ovariis carentes inveniuntur, iure non licet (pag. 58-59).

103. Hunc ipsum P. Eschbach ratiocinandi modum diu refutavimus in *Pro Conceptu* etc. nn. 63-68. Cum vero dictus auctor referat tantum partem minimam dispositionis Sixti V et quae sunt maximi momenti in hac questione omittat, necesse est totam Constit. exponere, et ad analysim revocare, ut facile cuilibet consectaria appareant. Papa respondet Episcopo Navarriensi, qui ab Eo petierat quid sentiendum de matrimoniis eunuchorum, quae tunc temporis (1587) in Hispania ab his contrahebantur. En Constit.:

« Cum frequenter in istis regionibus Eunuchi quidam « et Spadones, qui utroque teste carent, et **ideo certum ac « manifestum est, eos verum semen emittere non posse,** « quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus « *cum mulieribus se commiscent*, et humorem forsan quem« dam similem semini, **licet ad generationem et ad matri« monii causam minime aptum effundunt,** matrimonia cum « mulieribus, praesertim hunc ipsum eorum defectum scien« tibus, contrahere praesumant, idque sibi licere pertina« citer contendant, et super hoc diversae lites et contro« versiae ad tuum et Ecclesiasticum forum deducantur, re« quisivit a Nobis fraternitas tua, quid de huiusmodi con« nubiis sit statuendum.

« Nos igitur attendentes, quod *secundum canonicas « sanctiones* et *naturae rationem*, qui frigidae naturae « sunt, et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda « matrimonia reputantur, quod praedicti Eunuchi aut Spa« dones, quas tanquam uxores habere non possunt, easdem

« habere ut sorores nolunt, quia experientia docet tam « ipsos, dum se **potentes ad coeundum iactitant,** quam mu« lieres, quae eis nubunt, non ut caste vivant, sed **ut car« naliter invicem coniungantur** *prava et libidinosa inten« tione, sub praetextu et in figura matrimonii turpes « huiusmodi commixtiones affectare,* quae cum peccati et « scandali occasionem praebeant, et in animarum damna« tionem tendant, *sunt ab Ecclesia Dei prorsus extermi« nandae.* Et insuper considerantes, quod ex Spadonum « huiusmodi et Eunuchorum coniugiis *nulla utilitas pro« venit, sed potius tentationes illecebrae et incentiva li« bidinis oriuntur,* eidem fraternitati tuae per praesentes « committimus et mandamus, ut *coniugia* per *dictos et « alios quoscumque Eunuchos et Spadones, utroque teste « carentes,* cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum « sive ignorantibus, sive etiam scientibus, *contrahi prohi« beas, eosque ad matrimonia quomodocumque contra« henda inhabiles Auctoritate Nostra declares,* et tam « locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de ce« tero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos « etiam, qui sic de facto Matrimonia contraxerint, *separari « cures,* et *Matrimonia ipsa, sic de facto contracta nulla, « irrita et invalida esse decernas* ».

104. Exposita Constit., procedamus ad eius analysim:

1° Summus Pontifex incipit adducendo **rationem facti,** ex qua movet Constit., scilicet de eunuchis, in quibus « *certum ac manifestum est eos verum semen emittere non posse* », et, etsi forsan quemdam humorem, similem semini « *licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum effundunt* » praesumant contrahere etc. Quid hic docet Sixtus V? Docet *semen necessarium esse ad generationem et ad causam matrimonii.* Quid est causa matrimonii? S. Thomas docet: « Causa matrimonii est ad

quam matrimonium est de se ordinatum, et haec semper bona est, scilicet *procreatio prolis et vitatio fornicationis* » [1]. Bucceroni idem tradit: « Causa (matrim.) est *sobolis procreatio et educatio,* finis primarius matrimonii, et mutuum vitae adiutorium finis matrimonii secundarius Gen. 1, 28. Post Adae peccatum, remedium etiam concupiscentiae, alius matrimonii finis secundarius » [2]. Uti liquet, Summus Pontifex docet *semen requiri* in matrimonio ad finem primarium et ad omnes secundarios assequendos; eunuchi, carentes testiculis ideoque semine, ad nullum ex his finibus apti sunt per matrimonium consequi ac ideo illud contrahere nequeunt, ut mox videbitur.

2° Docet, *iuxta canonicas sanctiones et naturae rationem*, esse *duplex caput*, ex quo matrimonium quis contrahere prohibetur, scilicet 1° ex *frigida natura et 2° ex impotentia;* quae, uti patet, duo impedimenta sunt ex iure naturae et Ecclesiae.

3° Docet eunuchos laborare non impedimento frigiditatis, ut P. Eschbach somniat, sed **impotentiae**; nam Constit. dicit tales eunuchos contrahere matrimonium « *ut carnaliter coniungantur prava et libidinosa intentione* », cum se ipsos iactarint « *potentes ad coeundum* ». Notum est impotentiam coeundi esse impotentiam dirimentem matrimonium, quae est « *impotentia et inhabilitas ad exercendam copulam carnalem ad humanam generationem necessariam... sive hoc se teneat ex parte viri sive ex parte mulieris* », ut clare docet Mastrius de Meldula cum communi. *Frigiditas* vero *naturae* est inhabilitas physica seu mechanica copulandi ob defectum erectionis, quae evidenter ex ipsa Const. in nostro casu excluditur.

4° Docet tales coniunctiones esse occasionem peccati et

[1] S. Thomas, Suppl., Q. 48, a. 2.

[2] Bucceroni, *Instit. Theol. moral.*, vol. 2, n. 959.

scandali et damnationis animarum ac ideo prorsus exterminandas ab Ecclesia Dei. Et re quidem vera, cum eunuchi careant in perpetuum potentia generandi, et ideo *bono prolis*, quod est intrinsecum matrimonio, et ob cuius absentiam, ex iure naturae et Ecclesiae, ne fines quidem matrimonii secundarios assequi possint, patet eorum coniugia nonnisi fomitem esse peccatorum et ruinae spiritualis, et ideo exterminanda.

5° Omnibus his rationibus allatis, scilicet verae et absolutae impotentiae, causae peccatorum et damnationis aeternae, et insuper, cum res ita sit, nulla utilitas ex his coniugiis provenire queat, declarat, iure naturali et Ecclesiastico, eunuchorum matrimonia iam contracta esse separanda et futura *prohibenda,* quia sunt « *nulla, irrita et invalida* ».

105. Exposita analysi Const., inspiciamus consectaria. Haec, ut omnibus facile liquet, sunt:

1° Sixtus V non creavit novum ius, sed **declaravit** ius naturae et Ecclesiae;

2° In viro semen requiritur ad validitatem matrimonii, cum semen sit « *necessarium ad generationem et ad causam matrimonii* »;

3° Eunuchi non possunt valide contrahere, ne ob fines quidem matrimonii secundarios, cum, et ad hos assequendos, requiratur capacitas generandi, quam eunuchi amplius non habent ob defectum perpetuum seminis;

4° Ad sedandam igitur concupiscentiam, etiam propriam, requiritur copula talis, ex qua sequi possit generatio.

106. Uti patet, omnes hae consequentiae Const. Sixtinae proveniunt ex facto, quod eunuchorum matrimonia adversantur **bono prolis**, matrimonio intrinseco, ut pluries diximus.

Hinc etiam sequitur Sixtum V **applicasse** tantum eunuchis, quod **ius naturae et Ecclesiae** postulat ad valide contrahendum.

Hinc item liquet, non agi hic de quaestione, quam facit P. Eschbach, utrum scilicet eunuchus possit, nec ne, suae et mulieris libidini satisfacere. Sixtus V enim aperte declarat eunuchos non posse contrahere *unice*, **quia sunt impotentes ob defectum seminis**, necessarii ad habendum finem primarium et fines secundarios matrimonii, et non ob rationes, quas P. Eschbach exponit; hae enim rationes sunt tantum in sua mente, et in Const. Sixtina ne umbra quidem earum. Sed qua ratione P. Eschbach omisit referre causam et rationes Const. Sixtinae, ex quibus vis tota Const. pendet? [1].

107. His positis, facile intelligitur quid sentiendum de argumentorum vi, quae affert P. Eschbach ad demonstrandum Const. Sixtinam non posse applicari et feminis excisis, scilicet privatis utero, vel ovariis, vel utrisque simul. Omnes rationes P. Eschbach *nullius sunt valoris*, quia, in contrahendo valide matrimonio hoc tantum requiritur, scilicet ut coniuges habeant omnia ea, quae natura et essentia matrimonii absolute ab eis postulat, h. e. corpus aptum ad generandum et nihil aliud. Quidquid contrarium *falsissime* dicat P. Eschbach, certum est de natura et essentia matrimonii, etiam ante lapsum, esse bonum fidei et prolis, et post lapsum, per J. Christum, bonum Sacramenti, sine quibus nullum matrimonium valide consistere potest. In casu feminae castratae, deest in perpetuum bonum prolis. Et ideo ea ratione iuris naturalis et ecclesiastici, qua Sixtus V, ob deficientiam **tantum boni prolis,** *declaravit* nulla, irrita et invalida eunuchorum matrimonia, *a pari,* ob defectum perpetuum eiusdem boni, eadem ratio declarat nulla, irrita et invalida feminarum excisarum matrimonia; ea ratione iuris naturalis et ecclesiastici, qua Sixtus V *applicavit* impedimentum *impotentiae,* et non

[1] Ad vitandas repetiones, cfr. reliqua, quae ad hanc Const. referuntur, in « *Pro Conceptu* » etc. nn. 67-74.

frigiditatis naturae, eunuchis, incapacibus ad generandum et non ad penetrandum cum propria satisfactione libidinosa, *a pari* applicandum est idem *impotentiae* impedimentum feminis excisis, etsi possent coire cum propria satisfactione et emissione mucus vulvo-vaginalis; ea ratione iuris naturalis et ecclesiastici, qua eunuchi nequeunt ne secundarios quidem fines matrimonii assequi, ob perpetuam incapacitatem generandi, *a pari* idem ius naturale et ecclesiasticum impedit mulieribus excisis possibilitatem consequendi fines matrimonii etiam secundarios, cum nequeant in perpetuum generare; ea ratione iuris naturalis et ecclesiastici, qua Sixtus V, apostolica et solemni auctoritate, declaravit coniunctiones eunuchorum, cum sint occasio peccatorum et ruina animarum, esse ab Ecclesia Dei prorsus exterminandas, *a pari* idem ius naturale et ecclesiasticum declarat coniugia feminarum excisarum esse occasiones peccatorum et ruinam animarum, ac ideo ab Ecclesia Dei prorsus exterminanda.

108. Uti patet, non est *per se* Const. Sixtina, quae prohibet feminis excisis matrimonium, sed tantum sunt **fundamenta et principia immutabilia** iuris naturae et Ecclesiae in ipsa Const. exposita, ac ideo hac ratione eadem Constit applicari debet feminis excisis. Cum enim ad valorem matrimonii requiratur potentia generandi, quae, si absit, efficit impedimentum dirimens impotentiae ex iure naturali, quod ne Papa quidem immutare potest, quod a viro, in contrahendo, hoc ius postulat, idem et a femina necessario postulat; matrimonium enim est contractus mutuus inter marem et feminam, qui ob eumdem finem coniunguntur. Essentia vero talis contractus consistit in praedictis tribus bonis, quae adeo debent inveniri in utroque contrahente, ut absque iis nullum matrimonium validum fieri possit.

Quid itaque valent rationes allatae a P. Eschbach, cum hic agatur tantum de *applicatione* iuris naturalis et ecclesiastici? Vere videtur canere extra chorum.

CAPUT VI.

109. Velut ac si P. Eschbach parum scripsisset hucusque ad tuendam suam sententiam, quae, ut ostendimus, habet contrariam totam catholicam iuris naturalis et ecclesiastici doctrinam et simulatis argumentis innititur, apposuit duplicem appendicem, quarum altera refertur ad quatuor causas propositas S. C. C., altera vero ad duplex responsum S. C. S. O., ex quibus putat nova argumenta invenire ad suam sententiam fulciendam. Sequamur igitur eum etiam in his.

110. Praemitto quatuor causas propositas S. C. C. fuisse: 1° *Salernitana* (1863), in qua agebatur de muliere carente utero et habente vaginam informem ac vitiatam; 2° *Verulana* (1871); mulier carebat utero et habebat vaginam duorum pollicum longit; 3° *Albiganen* (1875); mulier carebat utero et habebat vaginam quatuor centim. long., quae postea per operationem tetigit sex centim.; 4° *Monasterien* (1900); mulier carebat utero et habebat vaginam informem e longit. quinque centim. In omnibus his causis S. C. C. declaravit nulla matrimonia. In meo *De Conceptu* etc. nn. 60-61 probaveram nullitatem, in dictis causis, fuisse datam ob impossibilitatem generandi, carente utero.

111. En quae dicit P. Eschbach:

« Decisiones istae latae sunt vel ob defectum uteri vel ob depravationem vaginae. *Concedo.* — Certo ob defectum uteri *Nego*.... — Porro in singulis hisce causis de feminis agebatur non solum utero ad generationem apto carentibus, sed insuper va-

ginam habentibus depravatam; neque apud S. Cong. Conc. mos est rationes patefacere ob quas suas sententias reddat. In recentissima tamen causa Monasterien, cum Ill. et Em. Patres calculum visi sunt potius adiecisse voto R. D. Sili Consultoris, ex hoc pauca heic transcribere iuvat.

« Quid est proprie dictus coitus? Conveniunt omnes ad coitus essentiam praeter organa copulationis, opus esse ut penis vaginam ingrediatur, ibique verum semen effundat.

« Heic quaeritur, utrum plus ad coitum requiratur. Iam vero cl. Canonista (alius Consultor) putat penetrationem seminisque intra vas effusionem non sufficere, sed in muliere una cum vagina requiri uterum et ovaria i. e. integrum apparatum generativum. Nos contra putamus in coitu nihil praeter dicta opus esse.

« Prima nostra ratio est, quia communis populi sensus plurimi faciendus est cum agitur, ut in casu, de re quam natura omnia animalia docet ».

Pluribus deinceps aliis expositis, sic pergit cl. Consultor.

« Demum quia si in coitu aliquid aliud praeter dicta requireretur, hoc esset vel ex parte finis matrimonii vel ex parte commixtionis coniugum in unam carnem; in quae duo coitus a natura ordinatur. — Atqui non ex parte finis, quia ad matrimonium valide contrahendum sufficit finis secundarius: qui, viro seminante intra vaginam, adaequate consequitur. — Non ex parte commixtionis in unam carnem, quia commixtio haec nihil exigit, quod praedicti coitus fines excedat. — Quod evidens est in sententia Sanchez, post eum communiter adoptata, quae tenet coniuges fieri duo in carne una per copulam, qua vir semen intra vaginam effundat, quin opus sit seminatione feminea, et non minus certum est in sententia S. Thomae, qui videtur quidem exigere seminationem femineam sed non aliam quam quae fit a muliere sub aestu veneris in actu coitus per secretionem glandularum quae sunt in ipsa vagina.

« Scio equidem iuxta cl. Consultorem Canonistam unionem in unam carnem non intelligi, nisi sperma offendat in ovulum, quod accidit in utero; sed, ut infra videbimus, id asseritur absque ulla probabili ratione, et obnitente iure et communi D. D. sententia ».

Fusiori deinde stylo R. D. Sili obiectiones solvit, quas

cl. Canonista opponebat, et concludit « quod uteri absentia nullam de facto vim exerit circa matrimonii valorem ». In praesenti autem Monasterien. causa matrimonium dirimere ait imperfectionem vaginae. Haec, cum in casu non longior erat 4 vel 5 centim., coniugum copula necessario erat imperfecta nec concupiscentiae sedationem afferebat.

Porro in hoc haberi verum impotentiae dirimens impedimentum sat apparet. Quare etiam S. Cong. matrimonium, de quo in casu, infirmum seu nullum esse pronunciavit (pag. 61-62).

112. Ad quae noto: ea ratione, qua P. Eschbach *negat* dictas decisiones datas fuisse ob carentiam uteri, cum non notae sint rationes, ob quas Eñi Cardinales ita statuerunt, eadem ratione possum tueri praecise ob carentiam uteri datas fuisse. P. Eschbach asserit Eños potius quievisse voto R. Sili in Causa Monasterien.; mihi vero positive constat contrarium, scilicet Eños declarasse nullitatem, in dicta causa, ob carentiam uteri. Sed quidquid sit de hoc, cum lectores non teneantur praestare fidem simplici assertioni et mei et P. Eschbach, considerare oportet singulas causas in se.

113. *Factum quaestionis* in his est absentia uteri et brevis et vitiata vagina.

Brevitas vaginae non potest esse *per se* impedimentum ad emissionem seminis; in copula enim emissio seminis non fit praecise ob longitudinem vaginae, sed ob motus frictionis glandis membri contra parietes vaginales, usque dum sensibilitas tactilis eiusdem glandis afferat excitationem centri eiaculationis, quod producit emissionem seminis. Immo vaginae normales habent longitudinem mediam centim. sex cum dimidio, teste doctore Testut [1], et longiores non sunt vaginae normales, sicut nec breviores; adde insuper normales vaginas in coitu posse protrahi etiam usque ad undecim centim.

[1] Testut, *Trattato di Anatom. umana.* — Torino 1896, vol 3, P. 2a pag. 262-263.

Quam ob causam brevitas vaginae *per se* non potest efficere obstaculum emissioni seminis et satisfactioni libidinis. Dein brevitas vaginae non impèdit ullo modo generationem; nam, etsi aliquando ob *nimiam* brevitatem, quae tamen non habetur in praedictis causis, et consequentem anomaliam, breves vaginae non valeant totum semen receptum retinere, tamen pars, quam retinent, etiam tantum considerata illa, quae adhaeret physice earum parieti et plicis, continet pluria millia nemaspermatum, quae plura millia ovula focundare possunt, cum unum tantum nemasperma ad fecundandum unum ovulum satis sit. Quare dicendum est breves vaginas non obstare ad explendam libidinem et ad generationem.

114. Absentia vero uteri impedit omnino fecundationem, ut diu iam probavimus [1].

115. Quid ergo concludendum? Ex duobus defectibus, in dictis causis, poterit-ne dici Emos Cardinales minorem elegisse ad nullitatem illorum matrimoniorum declarandam, cum per se minor defectus nec ad finem primarium nec ad secundarium assequendum obstet, an non potius considerasse defectum maioris momenti, nempe defectum uteri, qui, impediendo absolute generationem, obstat **bono prolis,** quod est de essentia matrimonii? Supponi-ne poterit Emos in hisce causis ignorasse vel prae oculis non habuisse quod requiritur de essentia matrimonii, quam neque ipsi neque Papa mutare ullo modo possunt? Lector iudicet.

116. Expendamus nunc rationes R. Sili. Hic tuetur in coitu, prout requiritur in matrimonio, nihil aliud necesse esse, nisi emissionem seminis in vaginam et nullo modo requiri etiam uterum et ovaria. Prima eius ratio est, quia agitur de re, quam natura omnia animalia docet.

117. Ad quae noto: 1° Talis conceptus coitus est vere

[1] Cfr. « *De Conceptu* » etc., nn. 105-116 et 131-122.

belluinus; animalia enim non feruntur ad agendum a motibus rationis, sed tantum ab instinctu; qua re saepe vidimus animalia coire contra naturam et quocumque loco corporis alterius animalis; quod quaerunt est tantum expletionem voluptatis. In viro adest lumen rationis, iuxta quam omnes eius actus oportet dirigantur. Homo est sociabilis, et, ob societatem multiplicandam, Deus matrimonium instituit, ut esset unus cum una et non instar animalium, quae primam feminam sibi occurrentem aggrediuntur propter coitum. Qua re notio conceptus coitus ita expetita mentem, rationem et communem sensum perturbat ac horrorem movet.

2° Quid est *vere* coitus? Coitus, prout a natura ordinatur, est coitus physiologicus, seu medium ut elementa generationis maris et feminae uniantur ad concipiendum fetum. Coitus, in quo emittitur semen et ex quo nullo modo, in perpetuum et per se, generatio sequi possit, est actus contra naturam. Hoc docet ratio ipsa naturalis; semen enim a natura destinatur tantum ad generationem; hoc docent omnes theologi. « Naturalis enim ordo talis actus debet esse eiusmodi, ut ex illo sequi possit hominis generatio; haec enim est finis illius; si ergo non possit sequi, erit talis actus contra ordinem naturalem; ideoque dicetur peccatum contra naturam » [1]. « Semen humanum a natura ordinatur ad generationem; ergo illud effundere ob alium finem repugnat ordini naturae » [2]. Cfr. superius dicta.

118. Dein R. Sili dicit: « Si in coitu aliud praeter dicta requireretur, hoc esset vel ex parte finis matrimonii, vel ex parte commixtionis coniugum in unam carnem; in quae duo coitus a natura ordinatur. — Atqui non ex parte finis, quia ad matrimonium valide contrahendum sufficit finis secundarius, qui, viro seminante intra vaginam, adaequate

[1] Filliuccius. Apud Gury-Ballerini, *Theol. mor.*, vol. I, n. 429.
[2] Elbel. Apud Gury, ibid.

consequitur. — Non ex parte commixtionis in unam carnem, quia commixtio haec nihil exigit, quod praedicti coitus fines excedat. — Quod evidens est in sententia Sanchez, post eum communiter adoptata, quae tenet coniuges fieri duo in carne una per copulam, qua vir semen intra vaginam effundat, quin opus sit seminatione feminea ».

119. Resp. *Nego totum,* scilicet quod nec ex parte finis matrimonii, nec ex parte mixtionis aliquid aliud requiratur, nisi emissio seminis in vaginam. Nam, ex hucusque dictis, clare liquet: 1° ad valide contrahendum matrimonium tria bona, quae sunt *intrinseca* naturae matrimonii, adeo requiri, ut sine ipsis matrimonium nullum consistere possit et finem secundarium non sufficere absque iis; in argumentatione vero R. Sili deest *bonum prolis;* 2° Fieri unam carnem importare capacitatem talem copulam exercendi, quae sufficiat ad generationem humanam, seu ex qua sequi possit generatio. In casu mulieris orbatae utero et ovariis, nunquam potest haberi copula, ex qua sit possibilis generatio. In utroque casu, abstracta in perpetuum et per se spe prolis, actus copulae est contra naturam.

120. Quod vero attinet Sanchez, dicendum est ipsum tenuisse *sententiam probabiliorem,* quae docebat ad conficiendam unam carnem sufficere tantum emissionem seminis virilis in vas femineum, ea quidem ductum ratione, quia Aristoteles tuebatur feminam *nihil* praestare *necessarium* ad generationem, etsi probabilitatem sententiae contrariae, requirentis necessario semen et maris et feminae ad generationem, recte admitteret pro tempore, quo vivebat. Audiatur quid docet. Quaerit Sanchez: « Utrum censeatur matrimonium consummatum, si solus vir intra vas naturale feminae seminet? » (Noto: consummationem matrimonii idem esse ac fieri unam carnem, quod est de essentia matrimonii, ut omnes indiscriminatim docent).

Respondet: « Communis sententia affirmat, *eoque innitur fundamento, quod semen femineum ad generationem necessarium non sit*, teste Philosopho etc.; cum ergo **copula generationi sufficiens consummat matrimonium**, ut late probavi n. 5 et *talis sit ubi vir solus intra vas femineum seminet, illa consummabit* ».

At est-ne certa haec sententia? Audi attente: « Sed quamvis, prosequitur Sanchez, haec sententia communior et probabilior sit, non tamen est **adeo certa**, *ut quidam ex eius defensoribus existimant* [1], *cum innitatur* **illi soli principio philosophico** [2], *quod semen femineum non sit necessarium ad generationem* **et illud non est certum**; quia satis probabiliter *multi tenent contrarium*, ut Hippocrates et multi alii; cum ergo **fundamentum non est certum, ita nec opinio illi innitens...** Quare concludo esse **probabile non consummari matrimonium, nisi etiam femina seminet**. Probo, **quia ad matrimonii consummationem requiritur copula, ex qua sequi potest generatio...** ut clare colligitur ex ceteris DD., cum inde probent consummari matrimonium, absque femineo semine, quod non sit ad generationem necessarium; sed probabile est, nisi femina seminet, **non posse ex ea copula sequi generationem**, ut probavi; ergo similiter habet eamdem probabilitatem **non esse consummatum matrimonium, viro solo seminante** » [3].

121. Cum vero in praesenti certum sit ad generationem humanam necessario requiri **semen ex parte viri et ovulum**

[1] Diceretur his verbis Sanchezium innuisse nonnullos modernos, ut Eschbach, Tanquerey, Génicot, Marc., Sili, et paucos alios, qui sententias amant tueri penitus adversantes doctrinae iuris naturalis et pontificii et omnium Aa. ecclesiasticorum, si rite intelligantur.

[2] Modus, quo fit generatio, ut patet, non est philosophicus, sed physiologicus; veteres putabant nimias quaestiones resolvi posse philosophice.

[3] Sanchez, *Op. cit.*, l. 2, d. 21, nn. 10-11.

(*ac proinde* **ovaria) et uterum ex parte feminae,** patet, copulam, ex qua sequi possit generatio, et facit matrimonium consummatum, esse tantum illam, in qua coniuges dicta elementa habent necessaria ad generationem; et haec doctrina nunc temporis non est amplius probabilis, ut erat tempore Sanchezii, sed **certissima.** Ex quo sequitur Sanchezii sententiam et omnium illorum, qui eam amplexati sunt, nefas esse amplius tueri. Utinam plures moderni Auctores sinceritatem et amorem veritatis haberent, uti Sanchez, et minus irrationabiliter veterum erratas opiniones transcriberent.

122. Quod autem attinet S. Thomam, qui ait: « Vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro *per commixtionem seminum* » [1], quo iure R. Sili putat A. D. tenere femineam seminationem esse emissionem mucus vulvo-vaginalis, qui in aestu venereo ordinarie in mulieribus fluit, et non intelligere potius aliquid necessarium ad generationem? Nonne docet A. D. omnem coitum, ex quo non potest *per se* sequi generatio, esse contra naturam, et esse contra bonum hominis et ideo item contra naturam omnem emissionem seminis tali modo, quod secundum se generatio sequi non possit? Quomodo, in loco a R. Sili intellecto et mox relato, A. D. contrarium docere posset, si nomine seminationis femineae ipse non intelligeret quod necessarium a muliere praestari debet ad generationem? Nonne superius vidimus A. D. requiri pro valore matrimonii illa tria bona, quae illud cohonestant et excusant? Quid amplius? Nonne aperte contrarium docet his verbis A. D.: « Dicendum quod concubitus contra naturam non habet *commixtionem seminum, quae possit esse* **causa generationis,** et ideo ex tali concubitu non causatur affinitas » [2]; et « *in* tempore con-

[1] S. Thomas, In IV Sent., d. 41, q. 1, a. 1, quaestiune. IV.
[2] Idem, Summ., q. 55, a. 3 ad 3.

tractus matrimonii *non solum requiritur* dispositio ex parte usus rationis, sed **etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi aptum**; »[1] et « **ad generationis** utilitatem coitus ordinatur? »[2] Nomine itaque seminationis femineae A. D. intellexisse dicendum est quod necessario in muliere requiritur ad concipiendum fetum, scilicet ovulum cum relativis ovariis, quod physiologice est verum semen feminae. Quod vero A. D. et plures auctores utantur nomine *seminationis* femineae, nulla est difficultas, cum elementa generationis mulieris tardiori tantum tempore inventa fuerint; nec aliquid obstat, etiam plures Aa. intellexisse pro semine mulieris dictam emissionem mucus, vel sanguinem menstruum, vel puriorem sanguinem etc.; ipsi enim *nil aliud* noscebant de organis femineis, nec praecurrere poterant posteriora inventa et experimenta; omnes tamen agunt semper de vera generatione, quam requirunt saltem possibilem in consummatione matrimonii, ut mox vidimus ex Sanchex[3]. Qua ratione ergo R. Sili asserere potuit in coitu nil aliud requiri, praeter virilem seminationem, ex auctoritate Sanchezii et S. Thomae. qui omnino contrarium docent?

123. Altera appendix, posita a P. Eschbach, consistit in referendo duplex responsum datum in duobus casibus particularibus a S. C. S. O., quorum alterum (3 feb. 1887) est: « Num mulier N, N., per utriusque ovarii excisi defectum *sterilis* effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, nec ne ». Responsum fuit: « Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum ».

Alterum (30 iul. 1900) est: « Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus ad-

[1] S. Thomas, In IV, d. 33. q. 1. a. 1.
[2] Idem, *Contra Gent.*, l. 3, c. 122.
[3] Cfr. « *Pro Conceptu* », n. 9, et « *De Conceptu* », n. 15-18 et seq.

mitti possit ad matrimonium contrahendum? » Responsum fuit: « Matrimonium non esse impediendum »..

124. His expositis, P. Eschbach scribit:

« Vix publici iuris factis relatis S. O. responsis, una omnium, qui de re morali scripsere, interpretatio eorumdem instituta est. Sic e. g. Theologiae Moralis Institutiones quas in Collegio Lovaniensi Societatis Iesu tradebat P. Génicot:

« Non est censenda impotens mulier castrata seu cui utrumque ovarium ablatum est. Etenim ovulum femineum non requiritur ad habendam copulam naturalem, sed tantum ad finem copulae nempe fecundationem obtinendam: ex quo patet discrimen inter feminam castratam et virum utroque testiculo carentem. Quin et S. Inquisitio interrogata etc. ».

Breviter Institutiones Morales Alphonsianae auctore T. Marc in Urbe typis mandatae sic docent:

« Impotentia quoad matrimonium est inhabilitas ad copulam coniugalem per se aptam ad generationem (S. Alph.). Unde impotentes non sunt steriles aut senes nec feminae *quae utroque ovario et utero carent.* (S. Off. 3 feb. 1887; 30 iul. 1890).

Dum apud S. Cong. Conc. matrimonialis causa Monasteriensis movebatur, Consultor Canonista, duplicem ob rationem contendebat decisiones S. Officii nihil probare: — 1) quia Cardinales non legislatorum partes agunt sed iudicum; — 2) quia forte dictae decisiones datae sunt ob aliquas circumstantias non expressas in dubiis.

Ad haec in suo praeclaro voto R. D. Sili ita respondit:

Ad 1. « Concedimus Cardinales Inquisitores per se, id est, independenter a promulgatione facta de mandato et nomine Papae non condere leges. Verum hic agitur non de lege condenda, sed de applicanda lege naturali, qua in re S. O. est competens, quin ulla opus sit promulgatione. Huiusmodi enim applicatio includit quidem legis interpretationem, sed comprehensivam tantum (quia nempe naturae ius immutari non patitur) quam proinde necesse non est promulgare (*Lehmkuhl* I, n. 204: *Schmalzgrueber*, diss. prooem. n. 373).

Ad 2. — Sacrae Congregationes respondent circumstantiis expressis in dubio quod enunciatur in ipso decreto, non autem circumstantiis quae maneant occultae; secus infinitis aequivoca-

tionibus daretur locus, et praeterea hoc inconveniens haberetur, quod S. C. unam quaestionem proponeret in dubio et aliam substantialiter diversam dirimeret in decisione ».

Mulier, quae ovariotomiam passa est, intactam servat vaginam et propterea coniugalis copulae, sicut antea, manet capax. — Ad sectionem autem uteri quod spectat, docemur dupliciter posse institui, prout solum uteri corpus vel etiam collum eiusdem abscinditur. Iam vero ultima haec chirurgica operatio absque gravi depravatione vaginae, quae collo per circuitum adhaeret, fieri posse aegre videtur, et hoc sane praetereundum non est.

Scias demum mulierem « cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus », necessario manere sterilem, neque unquam deinceps aliquam concepisse visam esse: non ita vero de iis dicendum, quae ovariorum tantum ablationem passae sunt. Variis enim de causis, inscio chirurgo, interdum accidit ovariorum reliquias quasdam latentes remansisse, unde passim factum est, sic exsectam adhuc prolem generasse. Propterea dubium, quod solvendum S. O. sibi proponit, non simpliciter, prout in altero responso, de muliere ex duplici ovario orbata, sed de ea quae « *per utriusque ovarii excisi defectum* **sterilis** (est) **effecta** ».

Quare in editione tertia et quarta suae *Summulae Theologiae Moralis*, Em. Cardinalis D'Annibale, qui tunc temporis Assessoris S. Officii munere fungebatur, ita docet: « Nubere non prohibetur mulier, cui utrumque ovarium *penitus* exsectum fuit «; seu « quae sterilis effecta est per utriusque ovarii excisi defectum, quia sterilitas non idem est ac impotentia (contrahendi matrimonium): scilicet matrimonium *ad mutuum quoque vitae adiutorium pertinet et ad concupiscentiam coercendam* » (pag. 65-67).

125. De his duobus casibus et relativis responsis diu locuti sumus in *De Conceptu* nn. 126-136, ubi egimus etiam quaestionem de modo interpretandi decisiones ad casus particulares RR. CC. et de earum valore; ad dictos numeros lectorem mittimus, ne iterum eadem repetamus. Hic tantum dicam praefata responsa valere tantum in singulis casibus, in quibus data fuere et non posse extendi ad ceteros casus etiam

apparenter aequales vel similes, quia omnes circumstantiae casuum propositorum et rationes, quae ad illas solutiones dandas Eños moverunt, nos omnino latent. Hic tantum iterum dicam praefatas responsiones non solum non obstare doctrinae certae hucusque a nobis expositae, sed plene eam confirmare. Nam scribit P. Bucceroni: « Neque vero ullo modo obstare notae responsiones S. Penitentiariae et S. O. matrimonium non esse impediendum in casu excisionis ovarii et uteri. Nam, ut mihimetipsi declaratum est ab ipso Eño Cardinali, S. Officii Secretario, responsiones illas ad particulares casus dumtaxat datas, supponebant posse adhuc per se in illis casibus sequi generationem, scilicet quatenus non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia » [1].

126. Quod vero dictae responsiones S. O. non laedat doctrinam hucusque expositam, audi etiam Palmieri dicentem: « Advertere licet utraque vice actum esse de casu prorsus particulari, cuius conditiones et adiuncta ignoramus; responsio autem in casu particulari immerito extenditur ad casus, qui videantur similes; cum nos lateant circumstantiae rei et rationes responsionis. 2 In his casibus non dici, quod certa esset *ablatio totalis* ovariorum et uteri; si enim tanta non est, adhuc conceptio potest habere locum. 3 Forte ratio responsorum fuit, quod dubitaretur adhuc de perfecta excisione; fieri sane posse dicitur, ut Chirurgus putet ea membra penitus excisa et tamen aliqua pars superstes sit, quo posito ius coniugii ineundi praevalet. 4 S. C. usam esse mitissima forma loquendi: *non esse impediendum*, quam formam consulit dubium vel solum facti; quocirca perperam ex his inferres, docuisse S. C. matrimonium valere etiam cum certa est totalis ablatio ovariorum et uteri » [2].

[1] Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, 4 edit., vol. 2. n. 994.

[2] Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, n. 865, nota.

Immo Episcopus Rosset in optimo suo opere, expositis theoria et principiis de impedimento impotentiae, ad dicta responsa S. O. ait: « Speculative remanent rationes adductae pro impotentia, et nequaquam possum intelligere quonam pacto mulier eiusmodi sit potens... An autem S. O. intellexerit talem mulierem esse nihilominus *certo* potentem, id non comparet » [1].

127. Et re quidem vera, considerando illa responsa *in se,* dicendum esset vel S. O. errasse et vehementer errasse, permittendo dicta matrimonia, vel dicta responsa non esse accipienda uti iacent, et fuisse particulares rationes, quibus ita casus resolvit. Quod S. O. erraverit, praesumere nefas est; nam cum tantum tria bona sint in matrimonio essentialia et quidem per se, quaeque in singulis matrimoniis necesse est ut inveniantur, ne invalida sint, et cum neque RR. CC. neque Papa ipse possint illa mutare vel dispensare, cum sint iuris naturalis, sequitur necessario dicta responsa data fuisse, ad minus in suppositione generationis non impossibilis. Quomodo enim supponi possit S. O., quod est tribunal speciale pro causis Fidei et morum, ignorasse quae sunt de essentia matrimonii? Ad haec, si alias essent praefata responsa accipienda, tunc actum esset penitus de iure naturali et ecclesiastico in matrimonio contrahendo. Remanet ergo dicendum responsiones datas valere tantum in iis casibus, in quibus datae fuere ob speciales rationes nobis ignotas et nullo modo contraire doctrinae iuris naturae et Ecclesiae et communi Aa. omnium saeculorum.

128. Contra loca vero citata Génicot et Marc a P. Eschbach opponitur tota doctrina exposita hic et in praecedentibus op. *De Conceptu* et *Pro Conceptu*: immo in *De Con-*

[1] Rosset. *De Sacram. Matrim.*, 1895, vol. 2, n. 1410. In hoc opere habes etiam refutationem sententiae P. Eschbach.

ceptu expresse refutavi dicta loca Génicot et Marc in nn. 89 et 90, ad quos remitto lectorem.

129. Quoad rationes vero, quas exponit R. Sili in casu *Monaster.* contra Consultorem, quibus dicit Cardinales Inquisitores applicasse tantum legem iuris naturalis in dictis causis, respondeo hoc admitti non posse: non enim possibile est Cardin. Inquisitores ignorasse quod ius naturale et ecclesiasticum requirit quoad essentiam matrimonii, ut valide contrahatur; ac ideo dicendum est dicta responsa admittere, implicite, ipsos putasse adhuc in illis adiunctis possibilem esse generationem.

130. De loco demum citato Card. D'Annibale a P. Eschbach, dico tantum locum, uti refert P. Eschbach, non inveniri in 4ª editione, quae et ultima est, sed tantum in 3ª, quae haec habet: « Nubere non prohibetur mulier, cuius vaginae os obstructum est, vel quae utero caret; illa enim congredi potest, haec et concipere (Eschbach § 1, 8, V), nec ea, cui utrumque ovarium penitus exectum fuit (S. U. I. 3 feb. 1887). Scilicet matrimonium ad mutuum quoque vitae adiutorium pertinet et ad concupiscentiam coercendam » [1]. Editio vero 4ª habet hoc tantum: « Nubere non prohibetur mulier quae 1° *sterilis* effecta est per utriusque ovarii excisi defectum (S. U. I. 3 feb, 1887), quia sterilitas non idem est ac impotentia; vel 2° utero careat, *dummodo concipere possit.* Utrum vero concipere possit, nec ne, medicorum iudicio relinquimus » [2]. In primo casu, scilicet, de excisione ovariorum, cum dicatur *sterilis effecta*, D'Annibale supponit possibilitatem generandi, quae *aliquando* adesse potest vel ob operationem non perfectam, vel ob ovaria supplementaria; quod eruitur etiam ex altero casu absentiae uteri, in quo docet posse mulierem matrimonium inire, *dummodo conci-*

[1] D'ANNIBALE, *Summ. Theol. mor.*, 3ª edit. 1892, vol. 3, n. 431, not. 9.
[2] Idem., ibid , 4ª edit. 1897, vol. 3, n. 431, nota 9.

pere possit. Ergo ex doctrina D'Annibale sequitur, mulierem, cum certum sit eam in perpetuum et per se concipere non posse, non posse valide contrahere. At impossibilitas perpetua generandi et quidem per se habetur in casu totalis absentiae ovariorum, et uteri, vel ovariorum et uteri simul. In quarta editione ergo Card. D'Annibale sententiam Eschbach dereliquit et communem et certam doctrinam retinuit. Qua ratione itaque P. Eschbach affert auctoritatem Card. D'Annibale in 4ª edit. suae *Summulae*, si ipse perfecte contrarium tradit? Hinc etiam sequitur, quod pluries diximus, scilicet carentiam perpetuam et quidem per se capacitatis generandi prolem constituere impedimentum dirimens impotentiae, carentiam vero generationis per accidens, quae tamen generatio esset possibilis, constituere simplicem sterilitatem, quae nec impedit nec dirimit matrimonium,

131. His hucusque expositis, quid remanet de sententia P. Eschbach, qui vult mulierem castratam esse tantum sterilem et posse matrimonium validum contrahere? Tantum haec sententia valet, quantum valent rationes, quibus ipse utitur ad eam tuendam et quas alibi [1] et hic examinavimus: hae rationes, uti vidimus, sunt subversio principiorum iuris naturae et pontificii, alteratio et obtruncatio locorum, quae affert, mala interpretatio auctorum, et cupiditas maxima suadendi lectores argumentis hoc modo expositis. Candide fateor maximo dolore me affici inspiciendo modum, quo haec quaestio tanti momenti a nonnullis agitur, et ita me debere contra scribere et loqui; sed amor veritatis, quam custodire debent labia sacerdotis, me iubet veritatem et totam veritatem sacerdotali libertate et sinceritate patefacere, et nihil aliud me movet, nisi cultus profundus veritatis, reverentia tanto Sacramento debita et studium vehemens, quod huma-

[1] Cfr. totum opusc. *Pro Conceptu* et *De Conceptu* c. V.

na societas regatur iis legibus, quas Deus posuit in iure naturae et suae Ecclesiae. Matrimonium, si contraheretur cum castratis feminis, esset vere sacramentum spurcitierum et officina peccatorum. Horret animus et sensus communis talia cogitando! [1].

[1] Hanc sententiam amplexati sunt nonnulli moderni Auctores, ex quibus praesertim notamus Génicot, Marc, Gasparri, Tanquerey et paucos alios, qui nulla alia argumenta afferunt ad eam tuendam, nisi aliqua allata a P. Eschbach. Ex quo fit, ut, *etiam praescindendo a facto quod adversatur iuri naturae et Ecclesiae et communi Auctorum doctrinae*, quam per saecula nos docuerunt, nullam, ne extrinsecam quidem, probabilitatem haec sententia habere possit.

APPENDIX

Hoc opus iam absolveram, cum ad manus mihi pervenit articulus P. Lehmkuhl, in « *The Ecclesiastical Review* » nuper editus, cui titulus « *Carentia ovariorum vel uteri num obstet mulieris matrimonio* », in quo A. breviter agit quaestionem *theoreticam* et *practicam,* an scilicet carentia praedictorum organorum theoretice constituat impedimentum dirimens et an practice haec quaestio soluta dici possit per responsa supra exposita S. O.

***

Ad *primam partem* quaestionis respondet nondum esse solutam, sequentibus nitens rationibus: ex S. Alfonso, qui docet: « Impotentia est illa, propter quam coniuges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem, unde sicut validum est matrimonium inter eos, qui possunt copulari, esto *per accidens* nequeant generare, puta quia steriles aut senes, vel quia femina semen non retinet, ita nullum est matrimonium inter eos, qui nequeant consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio ». (S. Alf. l. 6, n. 1096). Etsi hoc argumentum S. D. faveat, ut ait A., expositae a nobis doctrinae, tamen praedicta verba « in se continent, ut scribit Lehmkuhl, quod contra hoc argumentum

possit opponi. Validum matrimonium eorum dicit (S. Alf.), qui sunt steriles et senes. At revera continua et constans est praxis Ecclesiae, a primordiis servata, ut benedicat etiam matrimonia eorum, qui in senili aetate volunt contrahere, eaque matrimonia pro validis habeat, si modo vir et femina inter se copulari possint. Verum, si feminam senilis aetatis respicimus (nam de viro loqui necesse non est), a vetula praestari ea amplius non possunt, quae ad generandam prolem essentialiter pertinent. Ovaria eius, utpote exsiccata, officio fungi nullatenus possunt, neque ovulum amplius maturare et dimittere valent; ergo deest primarium elementum ad generandam prolem necessarium. Hinc eius conditio plane eadem est atque illius feminae, quae ovariis caret.

« Dicunt quidem aetatem, in qua femina ita deficiat, non posse exacte definiri, neque deesse exempla earum, quae in summa aetate etiam prolem genuerint. At licet non accurate eadem aetas quascumque feminas reddat steriles, est tamen aetas, ultra quam communiter vis generandi non perduret; et, si rarissimae exceptiones fuerint, hae, maxime si agatur de matrimonio *contrahendo,* probari deberent, si vis generandi deberet mansisse intacta, ut matrimonium ineundum valeret. Ecclesia autem nunquam erat sollicita in tali probatione exigenda, sed etiam iis casibus, in quibus vel praesumptio vel ipsa certitudo extinctae generandi facultatis adest, senum matrimonia semper permisit.

« Unde qui vim generandi in muliere deficientem non agnoscunt pro impotentia, sed pro sterilitate matrimonii valorem non dirimente, essentiam matrimonii eiusque finem essentialem aliter debent definire. Dicunt igitur, finem quidem primarium esse filiorum generationem, attamen secundarium finem eumque ad essentiam matrimonii sufficientem esse, ut sit remedium concupiscentiae. Quapropter matrimonium consistere posse validum, si modo copula com-

plete haberi possit, quae apta sit ad completam satisfactionem utrique praestandam; hanc quidem ex se, ex ordinarie contingentibus, etiam aptam esse ad generandam prolem: at si propter defectum accidentalem ille finis generandae prolis non attingatur neque possit attingi, propterea tamen matrimonium non exsistere nullum.

« Quae si vera sint, iam patet eos qui defendunt carentiam ovariorum non constituere impotentiam matrimonii dirimentem, posse cum fundamento non levi insistere in similitudine cum matrimonio senum. Et si semel admittitur, vim generandi ad valorem matrimonii in femina non esse necessariam, facile est gressum facere ad casum de carentia uteri: videlicet neque hunc defectum, quum non impediat copulam perfectam ex parte viri neque satisfactionem mulieris, esse impedimentum matrimonii dirimens.

« Ex iis igitur, quae dicta sunt, concludi poterit: de sententia, quae mulierem ovariis et utero per excisionem orbatam matrimonii contrahendi inhabilem habeat, iam conclamatum esse. Verum qui ita ex analogia cum matrimonio senum concluderet, praepropere ageret. Nam res in eo differunt, ut quando sermo est de excisione ovariorum vel uteri, aliquid *positive actum sit* contra primarium matrimonii finem; quando de matrimonio senum, *nihil actum sit* contra hunc finem, sed naturali conditioni humanae omnia relinquantur. Quantopere autem alterum ab altero differat relate ad matrimonii nullitatem efficiendam vel non efficiendam, patet ex effectu conditionum in pactum matrimoniale inductarum: quae si positive aliquid agendum statuant contra primarium matrimonii finem, matrimonium reddant nullum, alias illud per se relinquant validum.

« Quare puto, quaestionem propositam, utrum excisio ovariorum vel uteri constituat impedimentum dirimens necne, theoretice nondum esse plane solutam ».

***

Ad omnia haec, quae opponit P. Lehmkuhl, etsi responsio habeatur in doctrina supra exposita et in duobus meis opusc. citatis, et cuilibet appareat eius modum ratiocinandi non tenere, cum conclusiones ab A. deductae ampliores sint, quam praemissae, tamen optimum factum puto aliquantulum immorari.

Videtur Lehmkuhl heic confundere absentiam generationis, quae fit *per se* et quae *per accidens;* et locus citatus S. Alfonsi, si conferatur cum doctrina, quam exponit de *essentia* matrimonii, modum intelligendi praebet quid, iuxta S. D., sit carentia generationis *per se* et quid *per accidens*. S. Alfonsus (op. cit. n. 1095) hoc tradit: « Matrimonium consistit in mutua traditione **corporum physice aptorum ad generationem,** sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem ». Ex quo facile deducitur: 1° copulam coniugalem esse eam, quam exercent coniuges habentes corpora physice apta ad generationem, et 2° matrimonium *requirere,* **ut validum sit,** *capacitatem generandi* in contrahentibus. Et hoc est principium generale, immutabile, cum sit iuris naturae et Ecclesiae.

Cum vero in praxi saepe occurrat coniuges, etiam in praedictis adiunctis capacitatis generandi, *de facto* non generare, cum plurimae sint causae generationem impedientes *hic et nunc,* praesertim ex parte mulieris, non ob id eorum matrimonia sunt invalida, quia ipsi coniuges non tenentur absolute ad prolem, sed tantum si veniat, et opus naturae, quod sequitur copulam, in generatione fovenda, non pendet ab eis; ab ipsis tantum requiritur ut habeant, quae natura necessaria ad generationem exposcit; qui quidem defectus prolis, ut patet, nonnisi *per accidens* habetur; et eo labo-

rantes *steriles* dicuntur. Tales esse possunt etiam iuvenes et adulti e florida valetudine; *senes*, vero, qui potentes sunt ad copulam et emissionem seminis, inter hos connumerantur, quia ex quotidiana experientia constat senes, quacumque aetate sint, dummodo coire et emittere semen valeant, posse generare. Et in meo *De Conceptu* etc. n. 103 nonnulla facta historica retuli senum, qui generarunt etiam usque ad 151 annum aetatis. Quod confirmatur etiam ex physiologia; scimus enim seminis virilis confectionem et elaborationem, semel inceptam tempore pubertatis, tota vita perdurare. Absentiam vero generationis in casu eunuchorum nemo certo dicet fieri *per accidens*, sed vere *per se*, quia apud hos impossibilis perpetuo evadit, deficientibus testibus. Qua re patet, Ecclesiam non prohibere senum matrimonia, quia *praesumit* posse generare; quod, si non generant, habet id fieri per accidens, cum generatio apud senes frequenter habita sit et habeatur. Quod si *certo* constet senes amisisse penitus potentiam generandi, adeo ut nullo modo ad hanc adiuvari possint, certa et communis doctrina est eos esse vere impotentes et non posse matrimonium contrahere.

* * *

Quod vero spectat vetulas, primo intuitu maior obiectio videri potest; at, rem considerando prout physiologia et experientia nos docet, haec obiectio item facile diluitur. Nam 1°, supra ostendimus in mulieribus nullum statutum esse tempus, quo menstruatio dici possit definitive cessata, ex quo fas sit coniicere inhabilitatem concipiendi *absolutam*;

2° certum est ovulationem persistere posse etiam absque menstruis, uti plurima facta vel quotidiana probant: non paucae enim praegnationes habitae sunt absque menstruis;

3° menstrua semel cessata noscimus, certo, posse, per

plures causas, iterum atque iterum reapparere perfecte regularia, quae *per se* indicant possibilitatem generandi;

4° supra vidimus, a doctore Tilt, qui in hac re particulari pollet doctrina et auctoritate, nos doceri non posse tueri falsam opinionem de impossibilitate concipiendi in feminis ob provectam aetatem, quia facta contraria plurima exstant; quae falsa opinio etiam nonnullos medicos decepit, qui putabant in provecta aetate capacitatem concipiendi esse impossibilem; quo errore ducti, tales praegnationes curabant velut tumores ovariorum, cum morte fetus et gravi periculo vitae matris;

5° Non exacte dicitur ob senectutem in feminis ovaria exsiccari; ovaria enim non exsiccantur; pati tantum possunt processum atrophiae, quo fit ut paullatim degenerationem patiantur et functione propria *per se* destituantur. At quis potest affirmare quousque se extendat in ovariis haec degeneratio? Ovaria numquam cessant irrigari sanguine et nervorum actioni subiici; et sufficit ut pars aliqua, etiam minima, remaneat non degenerata, quae novae proliferationis cellularis capax est et formationis ovulorum. Quod ita res se habeat, constat ex plurimis factis mulierum, quae, etiam multos post annos cessationis fluxus menstrui tempore medio ordinario, passae sunt pluries nova menstrua regularia, pluresque eorum suspensiones, quae singulae definitivae putari poterant. Immo dici vere potest, donec mulier vivit, ovaria *posse* denuo reviviscere, quia, donec ovaria irrigationi sanguinis et actioni nervorum subiiacent, potest eorum vitalitas ob varias causas excitari, etiam post cessata menstrua a pluribus annis. Cum vero dicitur de atrophia perfecta ovariorum, quis potest certo affirmare ita rem in natura se habere, scilicet quod ovaria sint perfecte atrophica, cum hoc nonnisi per microscopium constare possit? Cum vero omnes hi processus ovariorum interni sint ac

ideo observationem directam effugiant, nequit in casu vetulae haberi illam *certitudinem physicam absolutam*, quae requiritur ad impediendum matrimonium; *certitudo* enim tantum *moralis* eius incapacitatis ad generandum ob aetatem non sufficit ad impediendum matrimonium; quaestio enim facultatis generandi est quaestio physica et nonnisi physice haberi potest, cum habeantur exempla vetularum, quae satis provecta aetate, etiam praeter quamlibet spem, genuerunt, quorum nonnulla retuli in *De Conceptu* etc., n. 103, et ex quibus potissimum est vetulae Royers, quae 85° aet. an. filium peperit. Et ne matrimonium ob provectam aetatem impediatur, sufficeret adfuisse etiam *unum* tantum factum; uno enim certo semel statuto, plura alia possibilia sunt; quod ex historia et praxi vere constat. Quod vero Ecclesia in permittendo vetularum matrimonia omittat inquirere an in ipsis vis generandi perseveret nec ne, nulla difficultas esse potest; nam cum certum sit et vetulas plures tarda aetate genuisse, Ecclesia *praesumit* in iis hanc facultatem; quod si non generant, habet fieri per accidens, dummodo *certo* non constet eam vim penitus esse amissam vel ob aetatem, quae *omne* dubium excludat, vel per operationem chirurgicam; quo in casu et vetula non potest contrahere sicut senex, qui *certo* sit in perpetuum incapax generandi. Cum vero in praxi non facile sit in femina vetula hoc *certo* cognosci, sicuti facile noscitur in viris, liquet non posse ei matrimonium ob id prohiberi; impedimentum enim non debet esse praesumptionis, sed certitudinis.

Quare, his omnibus inspectis, patet: 1° non posse dici conditionem vetularum eamdem plane esse atque illius feminae, quae ovariis caret. Femina enim excisa nullo tempore suae vitae potest generare, vetulae vero aliquando genuerunt; in excisis impossibilis perpetuo est reviviscentia ovariorum, cum haec desint, in vetulis possibilis; in excisis

absentia generationis fit *per se* et absolute, in vetulis *per accidens* et non absolute; 2° doctrinam S. Alfonsi cohaerere perfecte cum doctrina de essentia matrimonii, cum docet senes non generare *per accidens*. Et hoc adeo verum est, ut S. Alfonsus explicite tradat, ut vidimus superius, mulierem inhabilem esse ad matrimonium, si sit impotens ad seminandum, si verum est semen mulieris requiri ad generationem, quod quidem semen est ovulum absolute requisitum. Quod quidem item implicite vel explicite tradunt Aa., ex quibus ex. gr. audiantur Salmanticenses. Notum et certum est, ut matrimonium valeat, necesse esse ut coniuges possint illud consummare. Hinc docent praedicti Aa.: « Matrimonium consummatur per copulam, qua coniuges fiunt una caro, c. 2, de convers. coniug.; *sed non fit una caro per solam penetrationem... nisi datur effusio seminis* **intra vas aptum ad generationem,** in c. lex 27, q. 2, **quia debet esse copula apta ad generationem illa per quam coniuges fiunt una caro** » (Op. cit., tr. 9, c. 4, punct. 1, n. 2). Quid est vero *vas aptum* ad generandum in muliere? Num vagina tantum? Nequaquam; vagina enim est tantum medium seu locus, in quo fit emissio seminis; quod efficit generationem sunt uterus et ovaria; vagina absque utero et ovariis nihil confert ad generandum. Mulier ergo praedita sola vagina, cum numquam valeat matrimonium consummare, non potest valide contrahere, quia de essentia huius requiritur, ut ipsi Aa. docent, traditio corporum **cum potentia ad generandum** (ibid. n. 5), seu copula apta ad generandum. Hinc copula cum excisa potest-ne dici apta ad generationem, qualis requiritur ad consummandum matrimonium?

6° neque dici potest, ut ait Lehmkuhl, eos, qui negant deficientem vim generandi in muliere esse impotentiam, debere *aliter* definire essentiam matrimonii eiusque finem essentialem. Nam quod est de essentia matrimonii non potest

definiri aliter quam est; et de essentia matrimonii non est nisi quod competit matrimonio, quale fuit a principio a Deo institutum, scilicet bonum prolis et fidei et per Novam Legem bonum sacramenti; quartum bonum, scilicet sedatio concupiscentiae, ipsi matrimonio intrinsecum substantialiter, non datur; nam, si esset de eius natura, ab initio adfuisset et ab Ecclesia recenseretur; at ab initio non fuit et in Concilio Florentino tria tantum bona enumerantur; idem in Catech. Conc. Tridentini, idem in iure canonico, et doctrina unanimi DD. omnium temporum, ut supra vidimus. At datur quatenus bonum *accidentale* tantum matrimonii, scilicet quatenus hoc bonum accessit post peccatum et quatenus haberi potest solum utendo illo ipso matrimonio, iam a Deo instituto et non alias. Dein, quomodo copula cum excisa muliere potest dici *per se* apta ad generandum, cum certum sit ex illa nunquam absolute haberi posse prolem, et quomodo huius absentia dici potest *accidentalis?* Si hoc admittitur, dicendum est vel eunuchum carere prole *per accidens,* quod falsum est, et posse contrahere, quod item falsum est. Adde etiam, copulam cum excisa secum ferre frustrationem seminis, quod tantum ad procreationem, saltem possibilem, ordinatur a natura, et, doctrina contraria admissa, cessare omnino rationem, qua matrimonium debeat fieri inter personas diversi sexus. Ceterum ex doctrina ipsa, quam, cum communi, tradit Lehmkuhl, de essentia matrimonii, probatur quod tuemur. Ipse enim haec docet de matrimonio iuxta *suam naturam et essentiam,* scilicet matrimonium est « individua maris et feminae consociatio, *quo mutuo complentur* **ad constituendum iure unum generationis principium** ». (*Op. cit.,* ed. 10, vol. 2. n. 678). In matrimonio cum muliere excisa, possunt-ne coniuges compleri ad constituendum iure *unum generationis principium?* Nunquam et in perpetuum. Ergo... Dein ipse A. do-

cet: « Obiectum vero formale mutui consensus (in matrim.) est ius et obligatio mutua **in ordine ad generandam educandamque prolem** eaque individua et perpetua » (ibid. n. 668). Mulier excisa potest-ne dare ius in proprium corpus *in ordine ad generandam prolem?* Numquam et in perpetuum, cum ipsa numquam et in perpetuum possit generare. Ergo... Remanet igitur dicendum mulierem excisam esse vere et absolute impotentem, quia caret obiecto formali, essentiali ad matrimonium. Quod quidem clare docet Lehmkuhl ipse. « Ab impotentia presse sumpta (ait), ut impedimentum constituit, distinguitur mera sterilitas, quamquam hae non raro confunduntur, seu promiscue eadem voce vocantur. Sterilitas enim, ut distinguitur ab impotentia, supponit possibilitatem copulae ex se ad generationem aptae perficiendae; at proles non generatur, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris aliquid obstat, quominus semen virile ovum maternum contingat atque fecundet » (ibid. n. 743). In hoc conceptu sterilitatis Lehmkuhl supponit existentiam ovuli ideoque ovariorum et uterum, per quem necesse est transeat semen et evolutio fiat physiologica fetus. At femina excisa nihil habet horum ac ideo non est sterilis, sed impotens.

*
* *

Neque recte A. dicit mulierem absque utero posse, ea copula, habere complementum voluptatis; nam hoc non obtinet ipsa per solam vaginam, in qua vir semen effundit, sed praecipue per uterum; nam in copula fit motus descensus uteri et velut spasmodice contrahitur ad hauriendum semen; quo peracto, libido sedatur; copula mulieris carentis utero comparari potest copulae eunuchi, qui experitur tantum sensationem tactilem. — Quibus praemissis et considerata doctrina supra exposita dicendum est, quaestio-

nem de carentia ovariorum et uteri, quatenus constituit impedimentum dirimens, esse plene *theoretice* solutam; agitur enim tantum de applicatione principiorum immutabilium iuris naturae et Ecclesiae ad praedictam quaestionem, ut ex doctrina etiam a P. Lehmkuhl tradita probatur. Quam doctrinam Lehmkuhl non proprio marte tradidit, sed hausit ex iure naturae et pontificio et unanimi DD. consensu.

* * *

De *altera* vero *parte quaestionis*, an scilicet praedicta quaestio *practice* sit soluta, affirmat Lehmkuhl, nisus duplici responso S. O. supra relato. Postquam probaverit dictas decisiones non posse sumi pro regula generali, sed tantum quatenus normas, quas tenere debebant Curiae illae episcopales, ad quás decisiones datae fuere, addit: « Ut pressius loquar de nostris decretis, S. Officium sane *censebat*, excisionem ovariorum et uteri non obstare liceitati ineundi matrimonii; nisi enim id censuisset, non potuisset in casu particulari mulieri licentiam dare. Eiusmodi *practicum* iudicium de liceitate rei, quae conceditur, non supponit necessario veritatem rei eiusque certitudinem, neque hanc adesse S. Officium suis decretis declaravit. Summum aliquis dicere poterit, Cardinalibus, qui S. Officii munus gerebant, *persuasum fuisse* de rei veritate, scil. quod carentia ovariorum et uteri impedimentum matrimonii dirimens non constituat. Sed haec persuasio etsi adfuerit, quum in infallibilitate non nitatur, errori *potest* esse obnoxia.

« Verum necesse non est, ut Cardinales *cum certitudine* iudicarent abesse impedimentum dirimens. Sufficit, ut iudicaverint id esse *satis probabile*. Nam si satis probabile est, impedimentum dirimens non exsistere, non constat, a muliere fieri rem lege divina et naturali prohibitam, si matrimonium ineat eoque utatur; quod si non constat, licebit

ei matrimonium inire. Gravissimi theologi in ipsis supremis R. Pontificis decisionibus, quae non doctrinam aliquam definiant, docent, posse Romanum Pontificem secundum probabilis iuris sui interpretationem procedere: multo magis teneri debet, sufficere probabilem interpretationem iuris seu legis, ut S. Officio liceat responsum et decisionem particularem dare.

« Id unum igitur ex decretis S. Officii allatis *certo* concludi potest, S. Officium habuisse pro probabili legis divinae et naturalis interpretatione, excisionem ovariorum et uteri in muliere non constituere impedimentum matrimonii dirimens. Hoc autem *sufficit*, ut inde securam sumere possimus normam practicam. Si enim S. Officium id habuit pro probabili, quis dixerit, id *non esse probabile*. Certe S. Officium, ut ipsum testatur, rem mature discussit. Quando autem doctissimi viri rem adeo mature consideraverunt, temerarium esset dicere, non adesse rationes internas graves quae suadeant id quod illi demum concluserunt. Immo sola huius supremi tribunalis auctoritas tanta est, ut necesse non sit in rationes inquirere, sed ut ex mera auctoritate exsistat sententia probabilis et practice tuta.

« Utut igitur liceat, theoretice contrariam opinionem defendere, atque accitis rationibus conatum in id dirigere, ut S. Officii sententia in posterum feratur contraria: quamdiu id factum non fuerit, cuilibet, cuius interest, licebit sequi opinionem, quam S. Officium in suis decisionibus iudicabat esse sive veram sive practice probabilem; neque quempiam, qui eam opinionem sequi velit, licebit mea sententia impedire.

« Ergo, ut breviter dicam, decreta S. Officii id effecerunt, ut mulier, cui excisa sunt ovaria et uterus, ab ineundo matrimonio impediri non possit, nisi Roma sententiam contrariam edixerit ».

***

Quod dictae decisiones non possint haberi ut norma practica, qua soluta sit dicta quaestio, militant omnes rationes supra et in meo *De Conceptu* expositae. Mulierem, quae non amplius habet ovaria et uterum, certum est non posse amplius generare. Hinc, cum de essentia matrimonii, quam nemo mutare potest, ne Papa quidem, sit capacitas illud consummandi, quae requirit capacitatem generandi, et cum mulier excisa, ex doctrina ipsius Lehmkuhl cum communi, non possit illud consummare in perpetuum, sicut eunuchus, non potest contrahere; qua re dici oportet, S. O. *putasse*, vel in illis adiunctis, impossibilem non esse generationem; alias dictae decisiones destruerent totam doctrinam iuris naturalis et pontificii de natura et essentia matrimonii; quod dicere nefas est. Hinc sufficit Cardinales, qui ita statuerunt in dictis casibus, *probabiliter* iudicasse adhuc existere possibilitatem generationis aut certo sibi non constare de eius impossibilitate, qua de causa responderunt matrimonium non impediendum. Cum enim, excisis ovariis *tantum*, sive ob qualitatem operationis adhibitae, sive ob non perfectam operationem, sive ob ovaria supplementaria, aliquando habita fuerit generatio, ita teneri potest Cardinales pro *probabili* vel *possibili* habuisse etiam in casu ablationis uteri et ovariorum aliquam rationem adesse supponendi *certo* non constare de absoluta incapacitate ad generandum, et in hoc dubio de existentia impedimenti responderunt matrimonium, de *quo in casu*, non esse impediendum.

***

Quod quidem cohaeret cum declaratione, quam Emus Parocchi, secret. S. O., paucis abhinc annis, fecit P. Bucceroni, qui illam declarationem publice reddidit in 4ª edit. sui

oper., pluries citati, ab anno 1900. Quae declaratio, etsi sit privata, cum tamen proveniat ab ipso S. O. secretario, non parvi momenti est et reddit rationem decisionum, quas aliter oporteret dici esse erratas, vel ipsas evertere totam doctrinam iuris naturalis et pontificii de matrimonii natura et essentia. Quod quidem cohaeret etiam cum doctrina tradita a Card. D'Annibale, olim Adsessore S. O. in 4ª edit. suae Summulae, in qua docet mulierem carentem utero posse contrahere, « dummodo concipere possit », et utrum concipere possit, nec ne, medicorum iudicio relinquit. In qua edit. D'Annibale sententiam contrariam, quam in praecedentibus editionibus tenuerat, mutavit; quod quidem certo non fecisset, si decisiones S. O., datae ipso Adsessore, haberi debuissent ut solutio *practica* quaestionis. Qua re dicendum est dictas responsiones nonnisi in casu S. O. proposito valere et nullo modo *practicam* quaestionem solvisse, nec aliquid contrarium certae Ecclesiae doctrinae ex ipsis erui licere.

INDEX

CAPUT I.

CAPUT II.

Caput III.

Caput IV.

Caput V.

Caput VI.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR

Joseph Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.